



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

Herbipoli, 1700

Sæculum Decimum Continens res in Ecclesio memorabiles quæ
contigerunt ab anno 900. ad annum Christi 1000.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64756)



SÆCULUM
DECIMUM

Continens res in Ecclesia
memorabiles quæ contigerunt ab
anno 900. ad annum Christi
1000.

DECAS I.

✻ Ab anno 900. ad annum 910. ✻

901. **I**N locum defuncti Romani Papæ
✻ creatus est Theodorus II. patriâ
Romanus, qui sedit tantum diebus 20. ei-
que subrogatus Joannes IX. patriâ Tibur-
tinus, professione monachus, sub quo non
nihil Ecclesia respiravit.

Constantinopoli Nicolaus Mysticus,
cum sedisset annos XI. depositus est, & in-
trusus in monasterium à se conditum, ei-
que suffectus Euthimius, vir valde pius &
prudens. Causa porrò depositionis fuit,
quòd Leoni defunctâ tertiâ uxore, quar-
tuma

tum cum Zoë conjugium inire volenti (quod tum Canones Ecclesiæ, tum ab Imperatore promulgata constitutio fieri prohibebant) consensum & benedictionem impertire noluerit, & presbyterum, qui has nuptias benedixerat, deposuerit. Leo tamen super hoc matrimonio missâ ad Pontificem Romanum legatione, dispensationem impetravit, quâ obtentâ effectum est, ut Constantinus, quem jam ante ex Zoë genuerat, per has nuptias Imperii hæres constitui posset, sed & Pontificis dispensationi Nicolaus Mysticus se se opponere præsumpsit. Justas igitur pertinaciæ suæ pœnas luit.

Paulò post Leo in solenni supplicatione ab homine fanatico vecte percussus est, ex quo tamen vulnere sanatus, sed supplicatio abolita, ob facti memoriam, ut illud ex hominum animis expungeretur.

✠(902.)✠ Himerius Leoni à secretis, & Dux optimus, bellum in Saracenos feliciter confecit, quando à sanctissimo Simone Anachoreta revelari contigerunt res admirandæ S. Theodistis Lesbix, quæ in eremo Insulæ Paros 35 annis sola ac pœnè nuda vitam duxit, nihil comedens, præter paucos lupinos.

Hunni Italiam ingressi Circum-Padanam regio.

regionem devastaverunt, sacris & profanis pessundatis, & nobilissimis civitatibus ferro & igne deletis, quibus occurrens cum immensis copiis Berengarius profligatus est.

(903.) Hunni vastatâ jam Italiâ, cum Berengario pro pecuniâ paciscuntur, ac spoliis opimis divites, in Pannoniam revertuntur.

(904.) Ludovicus Imperator à Berengario captus, oculis & Imperio privatus est, Hic autem jam per vim Imperator, à Joanne Pontifice coronatus erat. Sed cum Româ exiisset, Lambertus, qui similiter jam ab annis undecim Augustus coronatus fuerat, ab eodem Joanne accersitus est Romam, ubi utriusque, Berengarii scilicet & Lamberti jure discussio in Concilio Romano, pro Lamberto causa pronunciata est. Sed cum periculosum esset Joanni IX. Romæ subsistere, novum Concilium Ravennæ peractum est septuaginta quatuor Episcopis eò convenientibus, in quo recitata sunt, quæ in superiori Concilio Romano gesta erant, videlicet damnatio alterius Synodi Romanæ celebratæ à Stephano VII. adversus Formosum: ejus actorum combustio: anathema Sergii, & aliorum, qui Formosi sepulchrum

chrum

chrom effoderunt: Constitutio de legitima electione Romani Pontificis: Confirmatio Lamberti, & reprobatio Berengarii: Prohibitio, ne moriente Pontifice Patriarchium expilaretur: Et alia ejusmodi, in quibus Ecclesiae tranquillitas sita esse videretur.

✽(905.)✽ Joannes IX. mortuus locum dedit Benedicto IV. magno pauperum tutori, ideo Deo & hominibus acceptissimo.

Nortmanni circa hoc tempus ad Christianam fidem conversi, & paulò post victi à Carnotensi, mitiores & meliores Christiani effecti sunt.

Rex Gallæciæ Alphonsus Magnus Arabes vincit, & Ducem eorū Alcaman dictum, quem ut Prophetam venerabantur, in prælio occidit.

✽(906.)✽ Tradunt hoc anno defunctum esse Benedictum IV. & ejus in locum subrogatum Leonem, hujus nominis V. eundemque post dies 40 pulsum, & in carcerem detrusum esse à Christophoro, quem post Leonem sedisse affirmant.

✽(907.)✽ Christophorus septem tantum mensibus sedem Romanam premit, sceleris sui præmium mox consecuturus à Sergio.

(908.) ✠ Christophorus pravorum
 turbis & factionibus Romanis è sede de-
 truditur, & coniicitur in carcerem ac Mo-
 nachus fieri compellitur, sed neque mona-
 chus neque Pontifex fuit, paulò post è vi-
 ris sublatus. Christophoro successit au-
 ctor harum turbarum Sergius, ille nefari-
 us, qui sæviit in Formosum, & factione
 Adelberti Marchionis Tusciæ in sedem se
 intrusit. Hic itaque odio adhuc furens in
 Formosum, omnes ejus Ordinationes in
 Concilio approbato a Joanne IX. irritas
 fecit; & plurima adhuc secuturis tempo-
 ribus deploranda, quæ in hac Synodo ritè
 constituta erant, evertit.

Sergius iste III. ex Marozia nobili scor-
 to filium genuit, qui postea sub Joannis XI
 nomine sedem Romanam deturpavit. Fuit
 autem Marozia, (aliter nomine dicta Ma-
 ria) filia Theodoræ nobilis Romanæ fœ-
 minæ ex Senatoria stirpe, & cum in illa ex-
 cellens forma cum ingenio versutissimo
 conjuncta esset, mirum est quid Romæ non
 præstiterit, Marchionibus Tusciæ, omnia
 Romæ potentibus, turpiter conciliata. De-
 dit insuper filiam suam cognominem sibi
 Maroziam Adelberto Marchioni, cui ge-
 nuit Albericum Patris potentiâ factum Do-
 minum Urbis: ac demum Adelberto mor-
 tuo

tuo eadem Marozia nupsit ejusdem filio Gvidoni ex Bertha conjugē, & turpissimis illis hominibus ac infamibus scortis diu S. Petri sedes infamata: quo tempore singulari Dei beneficio, nullum schisma, nulla hæresis conflata quæ Ecclesiam Romanam invaderet, fatis hisce sordibus afflictam & impeditam.

Alphonfus Magnus Gallæciæ Rex, postquam cognovisset Garfiam primogenitum suum adjuvante matre & fratre adversus se conspirasse, ipse, ut ostenderet quod æquè in se ipso quàm in vincendis Saracenis Magni nomen promeritus esset, sponte regno cessit, ne domestico dissidio hosti commodum accederet.

(909.) Celebratum est hoc anno concilium in pago Sveffionensi de disciplina Ecclesiastica, quo multa continentur ad Clericos benè instituendos accommodata, Episcopis Gallæciæ tunc optimè animatis in sanctam sedem, quando ejus perditī mores minùs reverentiam efflagitare videbantur.

(910.) Sergius sanctam Sedem morte sua liberam relinquit Anastasio ejus nominis III. Patriâ Romano, Luciano filio.

Obiit etiam Lambertus Gvidonis seu
Wido-

Widonis filius, in juventutis flore in veneratione ab Hugone comite Mediolanensi clam necatus, de quo historici testantur, quod plus dignitatis Imperio contulerit, quam ab eo receperit.



DECAS II.

✻ Ab anno 910. ad 920. ✻

911. **L**EO VI. Imperator ventris profusio ex hac vita decessit, quem Philosophum fuisse ejus scripta declarunt plena doctrinae, sed & in eo pietas eruditioni concinebat.

Leoni successit Alexander ejus frater, simul regnante Constantino Porphyrogenito, Leonis filio adhuc puero. Alexander statim ejecto in exilium Euthymio Nicolaum in Sedem Constantinopolitanam restituit: Clerici autem fautores Nicolai, ab Euthymio de Simonia reprehensi pessime eum exceperunt, colaphis & pugnis inflictis, barbâque contumeliosè evulsâ. quam tamen inmanitatem plerique eorum non impunè tulerunt, Deo poenas infligente, quæ ab hominibus non exigebatur.

✻(912.)✻ Anastasius Papa vitam fun-
ctus, locum dedit Landoni patria Sabino,
qui

qui in gratiam Theodoræ potentissimæ meretricis, quæ tunc Romæ imperitabat, Joannem Amasium suum ex Presbytero factum Episcopum Bononiensem transtulit ad Infulas Ravennæ: cum verò paulò post idem Lando interiisset, eadem Theodora ut facilius admissarii sui amplexibus frueretur, eundem Joannem in Petri Sedem intrusit, qui dictus est Joannes X. & licet esset moribus fœdissimus, nihilominus Pontificatum non malè administravit, jam probatus à Clero, docuitque sibi malos præfules ac Rectores nonnunquam aliis bonos ac utiles esse.

Mortuus est hoc anno Alphonfus Magnus, posteaquam non jam Rex, sed Dux exercitûs, magnam de Arabibus victoriam retulisset.

Sublato Ludovico Germaniæ Rege, Conradus Rex electus ex alia familia, quæ Caroli Magni non erat, defecerat enim Arnulphi filio sine liberis decedente.

Hoc anno Rollo Dux Nortmannorum Christianam religionem amplexatus, atq; in Galliam, quam antea ut hostis vastaverat, nunc ut hospes amicus translatus, cum cælo simul naturam mutavit, cujus Principis justitia & æquitas etiamnum apud Gallos celebratur. In voce *Haro*, quæ in libris

bus & pressuris imploratur. Haro enim
quasi *ah! Rollo!* ut quida mderivare con-
endunt.

In Oriente Alexander Imperator lotus,
bene pransus, multoque vino madidus,
dum pilâ ludere cupit, exortis viscerum
torminibus, in palatium relatus, sangui-
nem per nares & ventrem egerens sequen-
ti die obit, hanc mortem promeritus, ut
tradit Aredas, dum ait, ipsum capite co-
operto in loca sancta ingredi assvetum,
cum quodam die amictum sacræ mensæ di-
movere ausus esset, insaniâ mox correptum,
nunquam postea mentis compotem
exitisse: denique cum & statuis in hy-
podromo positis solitum Baccho sacrifici-
um fieri iussisset, eo nondum peracto sacri-
legio, divinitus percussum in cubiculum
portatum esse, eodemque, quo Herodes,
morbo interiisse. Narratur ab Eremper-
to de eodem Alexandro, intuitum aliquan-
do statuas Deorum Constantinopolim Ro-
mâ translatorum, blasphemam vocem emi-
sisse: *Heu! quando istas colebant Romani po-
tentissimi, & invicti perseverârunt.* & post-
hæc iussisse eas serico cooperiri. sed nocte
sequenti per quietem virum aspectu radi-
antem, & severo vultu ei apparuisse, & vir-
gâ percussum his verbis arguisse: *Ego sum
Roma-*

Roma-

Romanorum Princeps Petrus. & expergefatum imperatorem vehementi timore correptum, sanguinis vomitu extinctum esse.

Extincto Alexandro solus Constantinus Porphyrogenitus, Leonis Sapientis filius Imperavit, inter cujus tutores allectus est Nicolaus Patriarcha, qui graviter apud Romanum Pontificem conquestus est de injuria sibi irrogata, dum ob τεσσαρογαμια, seu quartas nuptias pulsus est. Sed hæ litteræ nihil profecerunt, nisi ut posteritas de multis ad historiam pertinentibus erudiretur.

✽(913.)✽ Raynerus Dux Lotharingæ, cum bona Ecclesiæ sæpè diripuisset, donato latifundio monasterio S. Matthiæ, Trevirensis ostendit se verè pœnitentem esse, diplomate edito, quo se ipsum persecutorem sæpè ac prædonem nominavit.

✽(914.)✽ Simeon Bulgarorum Rex irrupit in Thraciam, & obsedit Constantinopolim, à quâ tamen repulsus consedit in Hebdomo, ubi eum Nicolaus convenit, & ad pacem componendam induxit, sed ea pax diuturna non fuit, iisdem Bulgaris Hadrianopolim obsidentibus. Zoë autem Augusta Constantini mater Nicolaum tutorem filii palatio depulit, non tamen Episcopatu.

(915.) Saraceni à Christianis Græ-
s simul ac Latinis Principibus, quibus
annes X. suum quoque exercitum con-
nixerat, tantâ clade propè Garilianum
bellati sunt, ut ne vel unus quidem cer-
mini superesset: tunc tota Italia hâc ho-
minum fæce expurgata fuit.

Berengarius quoque, qui egregiam in
hoc bello navavit operam à Joanne Impe-
rator inunctus est, & didicit se non gratis
pugnasse, qui coronam accepit.

Garzio mortuo; in Gallæcia Ordonius
frater successit, & sedem Oveto Legionem
transtulit, hinc qui ante Rex Austricensis,
princeps Legionensis dictus est.

(916.) Hunni hoc anno devastave-
runt Saxonum Ecclesias, maximè Bremen-
sem, quarum se Deus vindicem exhibuit.
obortâ enim tempestate, erumpentes ex
incensis templorum tectis, scintillæ in ora
incendiariorū irrupentes, aut eos in flu-
vium præcipientes se agere compulerunt, aut
se armatis civibus dedere, à quibus ad sati-
etatem cæsi sanguine sacrilego ignes sce-
leratos extinxere.

(917.) Bulgaros inter & Romanos
prælium commissum est, & Bulgari qui-
dem victi discessere, mox tamen illi panico
timore correpti, victos victores effecere:

S

quare

quare eorum Rex Simon Constantinopolim obsedit, mox tamen inde recedere coactus est.

✽(918)✽ Missale Mozarabicum, quod in Hispania usui erat a multis annis, hoc anno a Joanne sive Joannello Legato Episcopi Compostellani & Ordonii Regis, ad formam missalis Romani correctum, & multorum annorum controversia finita est. Erant enim in missali Mozarabico nonnulla pertinentia ad formam Consecrationis diversa à forma, quâ Romani utebantur, omiſſis igitur iis, quæ levioris momenti videbantur, ea, quæ propiùs ad ipsum incrementum Altaris Sacrificium pertinebant, Romano conformata sunt.

✽(919.)✽ Constantinopoli Romanus Patricius classis Præfectus, tyrannis adversus Constantinum adolescentem insurgentibus, Collega Regni creatus est, & Zoë Augusta Constantini mater in monasterium detrusa, ac Romani filia Helena Constantino in matrimonium data.

Obiit Conradus Germaniæ Rex, ditione suâ in Henricum Saxonizæ ducem translata! Hic Rex inungi recusavit, quasi indignus unctione, sed hanc demissionem non placere Deo agnovit S. Udalricus Episcopus Augustanus; cum autem idem

Henri-

Henricus viduam velatam duxisset uxorem, nihil propius factum quam ut damnatur vocatus ad Synodum à Sigismundo Halberstadiensi Episcopo: pro eo autem Imperator intercessit. Igitur fœminâ illâ dimissâ, pœnitens Romam abiit, ac deinceps duxit Mathildem, ex qua tres liberos suscepit, pretium suæ pœnitentiæ.

(920.) Constantinopoli conciliatâ pace inter eos qui Euthymio & illos qui Nicolao adhæserant schismate a se invicem divisi, Corpus Euthymii in exilio de sancti solenniſsimâ pompâ & veneratione Constantinopolim relatum & in restituendo honore post obitum quodammodo satisfactum est.

In Gallia Magnæ turbæ concitatæ sunt: quarum prætextus fuit Hagano Landinensis vir ignobilis, sed qui apud Regem poterat omnia. Causa turbarum fuit ambitio Roberti, quem Otho comitem Parisiis præfecerat. Bellum itaq; ingens civile conſtabatur, quod tamen Hervæus suâ prudentiâ discussit, quamvis ægerrimè, cum Hagano nimis superbiret. Robertus autem nec ipsum nec Regem ferre posset.

(96)



DECAS III.

✽ Ab anno Christi 920. ad 930. ✽

921. **I**terum Gallia propter Hagonem
 ✽ turbatur, proceribus Ducem Robertum Regem eligentibus, & Hervæo Archiepiscopo Rhemensi inungente: qui inunxit triduo post præstitam operam extinctus est, fortasse morte suâ prænuncians unctum non diu regno tyrannicè potiturum: Robertus autem Hagonis Thefauros Lauduni custoditos diripuit, & inter suos divisit, ut haberet eos ad opprimendum verum Regem paratiores.

✽(922.)✽ Inter Romanum & Constantinum Porphyrogenitum odii causa nascitur, cum Constantinus antea publicis in actis primò loco nominari solitus, nunc Romano postponeretur, superbiâ sine dubio in Romano non ferendâ, qui Constantino omnia debebat.

✽(923.)✽ Habdarraghman Saracenorum Cordubæ Rex, ejus nominis quartus, diram in Christianos persecutionem excitavit, vocans se *Legis Divinae defensorem*, *Amomiramolim* hoc est *Regem credentium*, sub quo passa est Eugenia Virgo & alij
 com-

plures, quorum nomina potius in cœ-
quàm in tabulis scripta sunt.

Carolus simplex evocatis in auxilium
um Nortmannis Robertum aggreditur,
omissoque atroci prælio, primò impe-
nem
Ro-
Ar-
i in-
ex-
inci-
ooti-
The-
x in-
pri-
Con-
aufa
licis
unc
du-
tan-
eno-
tus,
xci-
em,
um,
alij
om-

eius copias delet; quo in certamine Rex
annum manu suâ interemit.

Retractum tamen eius cadaver à filio
ugone Magno & Heriberto Comite Ve-
mundano genero, imò ita vincentium
dor repressus est, ut dubia victoria vide-
etur. Interim à conjuratis novus Rex
stitutus Rudolphus, Dux Burgundiæ
Richardi filius, qui tam fortiter bis Nort-
mannos devicit; ipse tum bellicosissimus
abebatur; duxeratq; Emmam seu Emi-
am, Roberti filiam. Hic collecto exer-
itu Sveffionibus Rex coronatur, de regno
um Carolo fortiter decertaturus. Sed
prælio opus non erat; nam Heribertum
Carolus verè tum simplicem in urbem S.
Quintini pertraxit, ac desertum à suis
compegit in carcerem. Hujus uxor Ogi-
na vel Ediniâ cum filiolo Ludovico fu-
it in Angliam ad Adelestanum, vel Æthel-
stanum fratrem, ut Regius sanguis in Fran-
ciâ periclitaretur.

(924.) Berengarius Imperator hoc
anno à suis cæsus meritas pœnas dedit,

quòd bis Hungaros populatores in Italiam induxisset : hi enim sævitix suæ monumenta hoc anno in Italia fixere ; nam Ticinam inflammârunt , & quadraginta tres Ecclesias , cum hujus urbis ac Vercellensi Episcopo. Ex incredibili civium multitudine ducenti tantum huic cladi superfuere , qui ex favillis urbis octo modios argenti collegere , quibus vitam suam & urbis muros redemerunt : Cum autem iidem Hungari in Galliam irrumperent , à Rudolpho repressi , fortiores sibi hostes occurrisse , damno suo cognovere.

Ordonius Rex Legionensis debellato Maurorum ingenti ex Africâ exercitu hoc anno obiit. Successit ei tyrannicè Froila II. cognomento crudelis , quo post 14 menses sublato duo iudices creati sunt , qui bella & judicia tractarent : quibus exauctoratus successit Alphonfus IV. cognomento Monachus , filius Garfæ vel Ordonii ; dum in Asturia Ramirus filius quartus Alphonfi Magni , sibi regnum vendicavit.

✽(925.)✽ S. Pelagius Gallæcus eximix formæ adolescens , captivus à Rege Habdaraghman Saraceno Cordubæ de stupro & Christo ejurando sollicitatus , post multa tormenta minutatim concisus , puram Deo reddidit animam.

Heri-

Heribertus Veromanduorum Comes filium suum Hugonem destinat Archiepiscopum Rhemensem, obtinetque à Sculpho: ei Successor nominaretur: Mox idem Sculphus à ministris Heriberti tollitur vetero, & Hugo vix quinquennis creatur Archiepiscopus ab Ebbone Sveffionensi & Monone Catalaunico Episcopis, totoque Clero Rhemenfi, quod etiam probavit Johannes X. Cui electioni cum assentiri non vult Flodoardus, hujus Ecclesiæ Presbyter, ab Heriberto cum multis aliis expulsus, Ecclesiasticæ constantiæ pœnas luit tam indignas quam atroces.

(926.) Hugo Dux Arelatensis filius Berthæ Rex Italiæ constituitur à Joanne Pontifice & omnibus Italiæ proceribus quibus expetebatur: inter quos etiam pactus initum est, rationibus eorum & Ecclesiæ satis accomodatum.

(927.) Carolus simplex Franciæ Rex ante triennium circiter carceri mancipatus jussu Papæ Joannis è carcere educitur: videtur autem id ab Heriberto Comite Veremundano factum non tam ad obtemperandum Pontifici, quam ut Heribertus misero hoc Rege (pro libitu suo laxato, constrictoque) custos ejus ad res suas abuteretur: intercesserant namque graves

simultates inter Heribertum & Rudolphum Franciæ Regem, quòd ille omnia sibi deberi crederet, hic autem regnare & a se Heribertum pendere vellet, & cum Heribertus Laudunum tunc temporis Regiam sedem (unde Comites Parisienses Odo, Robertus & Hugo Magnus oriundi erant) occupare vellet, à Rudolphi Præsidiariis rejectus est; unde occulta odia palam eruperunt. Itaque suis rebus consulens Heribertus incarcerationum Carolum laxavit, ad illò liberius abutendum.

In Hispania Adelphonfus Rex Legionensis Ramiro Successori regnum sponte cessit, & Monachum induit: sed ex cucullo ad purpuram, & regnum respectans, dum illud recuperare machinatur, à Ramiro captus & excœcatus est, cum quo tres etiam Froilæ liberi rebellantes eodem supplicio affecti sunt, quam crudelitatem tamen Ramirus postea facti pœnitens, elemosynis ac multis conditis monasteriis redimere conatus est.

✱(928.)✱ Joannes Papa X. sicuti per Theodoram scortum in sedem Romanam intrusus est, sic per aliud scortum Maroziam Theodoræ filiam in carcerem detrusus, & Pontificatu, ac paulò post vitâ spoliatus est. Erat autem illa uxor Quidonis Comi-

Comitis Tusciæ fratris Hugonis Italiæ Re-
gis: qui cum arderent invidia in Petrum
Iannem fratrem, hunc sede dejecerunt,
illum in oculis fratris interfecerunt: sic
omnia Romæ tam crudeliter, quam libi-
erosè agebantur.

Simeon Bulgarorum Rex Macedoniam
& Thraciam depopulatur, donec Impera-
tor Romanus cum eo in collegium con-
gressus multis ditatum muneribus in pa-
triam remisit. Romanus Imp. Constanti-
nopolim, compositâ cum Bulgaris pace re-
versus, Stephano & Constantino duobus
filiis suis coronam imposuit, Theophyla-
ctum verò addixit Ecclesiæ & dignitate
Syncelli auctum Subdiaconum fieri iussit.

(929.) ✠ Joannes X. in carcere cer-
vicali in vultum coniecto, diuq; oppresso,
suffocatus est: & eodem anno qui in lo-
cum ejus fuit subrogatus Leo, ipse quoq;
in carcerem detrusus ibi defunctus est.

In cujus sedem successit Stephanus ejus
nominis VIII. (ab aliis autem dictus septi-
mus) natione Romanus Theudemundo
Patre genitus. Sic unus & idem annus tres
Pontifices informatos vidit.

Heribertus cum videret Rudolphum &
Carolum simplicem amicè inter se & paci-
ficè agere veritus ne ipse duorum Confœ-

deratorum Regum victima fieret Carolum iterum custodiæ mancipavit Peronæ, idq; tanto audacius, quòd Joannem Papam fede depositum audivisset, Carolus autem hoc anno mœrore in carcere contabescens vitam finivit, relicto filio Ludovico, qui in Anglia apud avunculum Æthelstanum ad spem regni educabatur.

✽(930.)✽ Mortuo Nicolao Patriarchæ Constantinopolitano successit est Stephanus Archiepiscopus Amasææ.

Henricus Germaniæ Rex cum exercitu Daniam ingressus, Reges Nortmannorum & Abroditarum devincit atque tributum & fidem Christi ab illis exigit, unde fides in Dania reflorescit, jam diu ante ibidem profeminata, sed persecutionibus ferè oppressa.



DECAS IV.

✽ *Ab anno 930. ad 940.* ✽

931. **S**tephano VIII. Papâ defuncto in-
 ✽ Struditur in sedem Joannes XI. Vi
 ejusdem Qvidonis Thuscæ Marchionis &
 Marozix illius uxoris ac dicti Joannis ma-
 tris, quot annos ætatis, tunc Joannes
 compleverit, non est facile certò pronun-
 ciare,

re, hoc tamen certum est juniorem,
deoque tanta dignitate indigniorem.

(932.) Arnoldus seu Arriolphus
Borariæ Dux adversus Hugonem Italiæ
Regem progressus ab eo interficitur, vir
ceteratissimus & rapacissimus, & Ecclesia-
rum sacrilegus inuasor, quem S. Udalricus
Augustanus, coram Deo accusari vidit, &
in sacrorum everforum condemnatum
ad ignes æternos sacrilegis paratos aman-
dari.

Erfordix hoc anno celebratum est con-
cilium Episcoporum, in quo præter alia
statutum, ut nullus orationis causa petens
Ecclesiam, vel inde rediens alicujus publi-
cæ potestatis banno capi possit.

(933.) Henricus Rex Germaniæ
Hungaros Ditiones suas depopulantes in-
signi victoria sub solenni tessera Kyrië
Eleison profligat triginta sex millibus eo-
rum occisis reliquis captis, vel flumine
submersis. Voverat ante prælium si vicif-
set ex regno suo Simoniacam labem se ex-
pulsurum. Quam facile fuit hoc votum
cedere, tam exequi his temporibus erat
operosum, nimis firmis radicibus hærente
deformi hoc malo.

Romæ Joannes Papæ XI. sicut violen-
ter Romanam sedem ingressus ita violen-

ter iterum dejectus est, & in carcerem detrusus una cum matre sua Marozia, ab Alberico ipsius Maroziae filio, quem ex Adelberto Marchione susceperat, horum motuum hæc causa refertur. Mortuo nimirum Widone Maroziae marito, ejusdem Adelberti ex Bertha conjugis filio, eadem impudentissima, Marozia Hugonem Italiae Regem, ipsius Widonis ex Bertha fratrem, Romam accersivit spe potiundae Urbis: qui cum advenisset, & ab ea receptus esset, in munitionem S. Angeli, quam ipsa occupabat, incestuosum quoque cum ea conjugium consummavit. Ubi vero jussu Maroziae Albericus filius, aquam manibus Hugoni fundens ab eodem Hugone in faciem caesus esset, quod immoderate aquam fudisset, Albericus in ejus injuriam vindictam Romanos adversus Hugonem concitavit, eundemque Romam expulit, & ipse Urbis Principatum sibi vendicavit occasionem nactus in Maroziam & filium ejus Joannem, pro meritis.

Stephano Constantinopolitano Patriarchae successit hoc anno Tryphon Monachus & temporaneus Praesul, donec Theophylactus adolescens annorum 16. aetatem attigisset. Sic utraque Ecclesia tumultibus & Principum audacibus factis hoc tempore turbabatur.

(934.) Albericus Romæ tyrannus corruptus muneribus, a Romano Imperatore extorsit a Joanne XI. captivo ut Theophylacto filio suo Patriarchæ, ejusque successoribus permetteret uti pallio absque facultate Summi Pontificis: unde factum est, ut non solum Patriarchæ, sed etiam omnes Græciæ Episcopi palliis utantur, neque inducta perperam consuetudo potuit unquam aboleri.

(935.) Rhemis Concilium celebratur contra rerum ecclesiasticarum raptores & inuasores.

Viriduni ope Beatissimæ Virginis, & S. Martini homo mortuus ad vitam revocatur, postquam diversa suppliciorum & refrigerii loca videre permissus esset.

(936.) Henricus Rex Germaniæ, & Imperator Occidentis, cognomento Auceps, magnus religionis fautor, anno ætatis suæ 60 migravit ad superos, cui Otho filius æquè pius ac fortis successit, postea ob res præclarè gestas: cognomento Magnus dictus, Mathildis verò Henrici uxor, pietatis insignis fœmina, multa sancta opera pro anima mariti obtulit, & videbatur tunc omnis Christiana pietas in hanc sanctam familiam confluxisse.

Ludovicus Caroli Simplicis filius, defun-

functo jam Rodolpho tyranno, ex Anglia & Æthelstani palatio, communibus Franciæ votis revocatus (unde etiam Transmarinus cognominatus est) ab Artaldo Rheimensi Archiepiscopo Rex inungitur, qui statim adversus Hugonem *Iniquum* cognominatum progressus, Lingonibus inclusum fugere compulit, & ditiones ejus recepit, fortissimè regnum auspiciatus.

Vitam in carcere finiit Joannes Papa, cui Leo VII. vir pius & bonus subrogatus est.

Tum Hugo Rex Italiæ Romam obsidione capere conatus est, sed fames militum spem occupandæ urbis abrupit; itaque fœdus inivit cum Alberico, cujus filiam Aidam uxorem duxit.

Urbs Genua ab Africanis Saracenis improviso impetu capta est, puberibus omnibus interfectis, fœminis autem ac pueris abductis, totâque urbe expilatâ. Fons sanguine paulò ante fluens, hanc cædem prænunciârat: quod portentum Genuenses monuit, sed non emendavit.

Hoc tempore vixit famosus ille Manasses, Hugonis Regis Italiæ affinis, magnus Episcopatum possessor, & coacervator, qui simul Arelatensis, Veronensis, Tridentinus, Mantuanus, & Mediolanensis
Epi-

Episcopus fuit, plurimarum scilicet ovium non paltor, sed lanæ cupidus, & inexplebilis tonsor, quem ideo Hugo super tota Italia mercenarium constituit & intrusit; quia securius se regnaturum sperabat, si in virum affinitate conjunctum beneficia Ecclesiæ & dignitates confluerent. Qui tamen Episcopatum helluo Manasses neque sic satur adhuc Insularum, Ecclesiam quoque Mediolanensem invadere ausus est, & ut aliquo velamento nefarius homo impietatem suam obtegeret, prætendebat se id agere exemplo Principis Apostolorum, qui Antiochenam, Romanam, & Alexandrinam Ecclesiam possedisset. Denique impiissimus homo hominum Deique legum contemptor Marchiam Tridentinam ab eodem Rege obtinuit, & armis indutus in ejusdem Regis exercitu militavit, nomine quidem multiplex Episcopus, sed re ipsâ ferox gladiator.

(937.) Otho, postea ob res præclare gestas Magnus cognominatus, Rex Germaniæ, in Conventu Aquisgrani ab Archi-Episcopo Moguntino inunctus est: non habitâ ratione fratris ejus Henrici competitoris, quæ res fere non belli flammam excitasset, nisi Othonis fortitudo & prudentia exarsurum incendium mature sopivisset.

Hun-

Hungari totam ferè Italiam vastârunt, sed tandem à Marsis & Pelignis circumventi omnes periêre, felicius autem grassati sunt in Gallia, inde enim ingentem prædam ex sacris & profanis direptis, divites exportârunt.

✱(938.)✱ Ramirus Legionis Rex votis Deo nuncupatis, & Angelis præviis sub equitum specie 200 Arabum Africanorum & Hispaniensium millia profligat, & cæsis 80 millibus hostium, ipsum Regem Abenaim cepit, vix elapso tunc Cæsar-Augustæ regnante Cordubæ Principe Abdarragmano, qui victoriâ Christianorum exulceratus, ingentem persecutionem mox commovit, & plurimos cælo Martyres intulit, ut æquè in terris quàm in cœlis Christiani de Saracenis victis triumpharent.

Boleslaus fratrem suum sanctum Wenceslaum Bohemiæ Principem odio pietatis & simul amore Principatus ejus obtinendi, interemit. Ejus necem vindicare quidem voluit Otho Germaniæ Rex, sed id annis 14 frustrâ tentavit; neque enim Martyres tyrannos suos perire sed emendari voluit.

✱(939.)✱ Leo Papa hujus nominis VII. moritur, & locum relinquit Stephano patriâ Germano, qui revera nonus hujus nominis, octavus tamen appellatur.

Hen-

Henricus frater Othonis cum Eberardo Francorum duce & Gisleberto Duce Lotharingiæ, junctis copiis & armis Othonem aggreditur, atque in Alsatia prope modum obsidione cingit, quâ occasione intendum ratus quidam comes petiit ab Othone aliquam Abbatiam, quâ foveret milites suos, sperans hoc, tempore nihil denegandum, sed eum fortiter Otho repulit, ac sibi plus placere Deum quam milites demonstravit: Itaque fretus Numine aggressus hostem, celebrem victoriam retulit. Eberardus enim cæsus, Gislebertus Rhæni aquis haustus, Henricus frater se fratri subdere coactus fuit.

✽(940.)✽ Stephanus Papa VIII. natione Germanus, cum à Romanis (posthabitis Cardinalibus) electus esset, operâ Othonis Regis tyrannorum in se odium concitavit, adeò, ut à quibusdam sacrilegis fuerit crebris ictibus deformatus, qui idcirco à publico abstinuit cōgressu hominum, cujus non vultu, sed consilio visibilis Christi in terris Ecclesia regebatur.

Eadmundus Rex Angliæ, Æthelstani defuncti successor, cum aulicorum invidiâ persuasus S. Dunstanum consiliarium suum prudentissimum & sanctissimum à se & aula ejecisset, sed tertio post die venatum
pro-

progressus, in summum vitæ periculum incidit, à quo voto nuncupato, de reparanda S. Dunstano injuria, liberatus, statim eundem Dunstanum in curiam revocavit, humiliter coram Principibus veniam deprecatus, ut publicâ demissione contumeliam resarciret.



DECAS V.

Ab anno 940. ad 950.

941. **R**ufforum classis ab Orientis Imperatore superata ac penitus profligata est, ita ulciscente Deo mala innumera Christianis illata, cum alios in cruces egissent, alios præcipuè Sacerdotes clavis terræ affixissent, alios quasi scopos propositos sagittis trajecissent, ac templa combussissent, &c.

Hugo jam à pueris Archiepiscopus Rheimensis designatus repulso Artaldo monacho jussu Synodi Sveshionensis Sedem recuperat, toto Clero id efflagitante.

Fridericus Archiepiscopus Moguntinus iterum postulatus iudicio defectionis & conjurationis inite cum Henrico Othonis fratre & aliis Principibus (in quas Otho animadvertit) purgavit se publicâ testificatione-

catione per Corporis & Sanguinis Christi receptionem, & absolutus est. Hic est Fridericus Monachorum persecutor, qui cum omnes vellet optimos esse, vel nullos, plures monasteriis & vestibis relictis fugere compulit. Sed cum id facere videretur ex odio Fuldensis Abbatis, conquiescere iussus est, & ita alios curare, ut sui non oblivisceretur.

✽(942.)✽ Francorum Principes rebellantes adversus Ludovicum Regem, Legatione Stephani Papæ, excommunicationem minantis, nisi ante Natalem Domini resipiscant, obtemperant Pontifici & Ludovicum recipiunt.

Hugone Italiæ Rege contra pacta cum Alberico inita, Romanum Ducatum ferro flammâque vastante (qui tamen motus operâ Othonis Cluniacensis Abbatis à Stephano VIII vocati, brevi compositi & sedati fuerunt) Imperatores Constantinopolitani Apuliâ, Calabriâ, & eâ parte, quam Vulturinus fluvius alluit, potiti sunt, & regio illa, quondam Magna Græcia dicta, ad primos dominos rediit.

✽(943.)✽ Stephanu VIII. (vel IX,) migravit è vivis: cui successus est Marinus II. ab aliis Martinus dictus, vir cælo additissimus, qui statim omissis belli tumultibus,

bus, se ad res Ecclesiæ componendas, & Christianorum Principum dissidia abolenda contulit, Deo ideò acceptissimus, & prophetiæ quoque dono illustrissimus.

✽(944.)✽ Typhon præstituto sibi tempore Archiepiscopatus evoluta, cum eum relinquere, uti pollicitus erat, Theophilacto recusaret, insidiis circumventus, depositus est, ac Theophilactus, cum jam annum 25 attigisset, Patriarcha consecratus est.

Edeffeni gravi obsidione ab Imperatore pressi, polliciti sunt in pretium sanctam Christi effigiem (illam videlicet famosissimo miraculo expressam ab ipso Christo vivente, & ad Abgarum missam) solutaque obsidione imaginem traditam, maximâ pompâ Constantinopolim miserunt, miraculis undique in via translationem comitantibus. Inter cætera illud quoque memoratur, quod S. Paulus anachoreta quidam sanctitate clarissimus in Latto monte, cum imagini illi æquale velum lineum applicasset, eo tactu Christi effigies ad amissum in eo expressa fuerit. Cæterum bellis postea ingruentibus, & Constantinopoli sæpius captâ & direptâ, schismate etiam ab Ecclesia Catholica rescisâ, eadem imago
singul-

ingulari Dei providentiâ Romam perlata
fuit, ubi nunc colitur.

Stephanus Augustus patrem suum Ro-
manum Imperatorem capit, tonderi jus-
sum in Insulam relegat. Dum verò idem
Stephanus cum fratre Constantino de pri-
matu Imperii disceptat, ambo quoque in
Insulas exauctorati deducuntur. Sicque,
uti prius, uni Constantino Porphyrogenito
Leonis Philosophi filio relictum est Orien-
tis Imperium. Nomen porrò Porphyro-
geniti inditum est omnibus iis, qui nati
purpurâ induebantur, vel in Porphyrio
palatio nascebantur.

(945.) Hugo Rex Italiæ à suis justo
Dei judicio regno dejectus est, & ut pate-
fieret orbi, non familiam, sed Hugonis
scelera odio esse, Lotharius filius ejus in
regnum susceptus est. Meruit hanc pœ-
nam foedus impium cum Saracenis; sed &
qui Manassi affini suo Episcopatus magno
Ecclesiæ scandalo & damno multiplicavit,
eâdem virgâ, quam colligavit, postea va-
pularit; præ omnibus enim primùm rebel-
lem hunc Manassem expertus est, qui cu-
pitudine potiundi Archiepiscopatu Me-
diolanensi à Berengario sibi promisso ille-
ctus, eidem Berengario Italiam repetendi
ostium aperuit, & alio Principes ad defe-
ctio-

Etionem stimulavit. Hugo itaque regno pulsus, in Provinciam, unde venerat, Comes Arelatensis, reversus est, & ut poenitentiam ageret, nobile monasterium in Burgundia dicitur statuisse, cui quoad vixit se inclusit, ibique peccata, quibus se implicuit, minori tempore quam hæc postulabant, deflevit;

✽(946.)✽ Marinus Papa moritur, cui Agapetus II. substituitur.

Constantinus Imperator Berengario Principi litteris missis, commendat Lotharium Regem, fratrem suæ nurûs, quare Berengarius ad illum Imperatorem legationem misit, quâ functus est Luitprandus Historicus horum temporum celeberrimus.

✽(947.)✽ Obiit hoc anno Æditha Regina, & conjunx Othonis Germaniæ Regis, sanctitate & miraculis clarissima.

Iterum Artaldus & Hugo de Archiepiscopatu Rhemensi contendunt; cum enim anno superiore Artaldus à Ludovico Transmarino Rege fuisset restitutus, quâdo is urbem Rhemos occupavit, Hugo appellavit ad Agapetum Pontificem, eumque dolo induxit, ut litteras daret, quæ plus ei negotii potmodum quam utilitatis attulerunt.

✽(948.)✽ Tres hoc anno Synodi celebrat-

lebratæ sunt in causa Hugonis & Artaldi, prima fuit Mosonensis, ubi lis adjudicata Artaldo contra Hugonem venire detre-
stantem; secunda in palatio Engelheim coram legato Othone & Ludovico, ubi Artaldus iterum probatus, & excommuni-
catus Hugo, donec ageret pænitentiam. Tertia Synodus fuit Trevirensis, ubi Hugo tertium damnatus, propter ordinatos post suam expulsionem; Hugo verò Dux ad-
esse recusans, accusatus a Ludovico, quòd suorum omnium malorum causa esset, ex-
communicatus est, donec satisfaceret ideo-
que Ludovico armis spiritualibus agente, qui nihil corporalibus posset.

(949.) Otho Danos & Sclavinos, qui ab eo & Christo desciverant, magno prælio devicit, ac sibi Christoque subiecit. Scribitur tunc Danorum Regem Haraldum miraculo ad fidem conversum fuisse, cum Christianus Clericus eo præfente ferram candens illæsus diu strinxisset. Sic omnes Ecclesiæ in his regionibus ordinatæ, gratulante iis Agapeto Pontifice, & Ecclesiis privilegia liberaliter impertiente.

(950.) Berengarius Hungaris Italia populantibus decem modios num-
morum, non ex propria pecunia, sed ex Ecclesiarum ac pauperum collectione de-
dit,

dit, eâdemque occasione multam aliam pecuniam ab omnis ætatis sexûsque hominibus collegit, quam sibi retinuit, prædo atque grassator domesticus & sacrilegus.

✱(950.)✱ Lothario Rege Italiæ veneno sublato, Berengarius sibi Regnum vendicavit, & Franci Reges Italiæ posthac imperare desiêrunt. Adelais autem uxor defuncti Lotharii filia Rudolphi Regis in munitissimam se arcem Canusinam recepit, atque inde litteris Othonem Regem propinquum suum in Italiam ad sui liberationem vocavit, sed & Agapetus Pontifex eundem Othonem imploravit, ut Italiam à Berengarii tyrannide liberaret, & opem imploratam feliciter impetravit:

Ramirus Rex Legionensis, religione & bellicâ fortitudine insignis, piissimè ex hac vita migravit, regnum Ordonio hujus nominis III. relinquens, quem plûs civilia bella quàm externa toto quinquennio, quo regnavit, defatigaverunt.



DECAS VI.

✱ *Ab anno 950 ad 960.* ✱

951. ✱ **O**Tto Rex Germaniæ in Italiam veniens, fugatis Berengario, & qui

qui pari cum Patre tyrannide grassabatur filio Adelberto, Reginam Lotharii anno superiore defuncti uxorem Adelaidem liberat, & uxorem accipit? qui ei dotalem offerre videbatur Italiam: tunc etiam Saraceni aditus Alpium occupantes tributum peregrinis imponebant; Neque tamen Christiani Occidentales deterrebantur, quò minus eius solutione civitatem sanctam adirent.

Amalaphus tyrannus in Anglia cum ad eo invaluisset, ut illius regni partem dimidiam possideret, postquam aggressus est incendio evertere Ecclesiam S. Balteri mox divino Numine vindice repentinâ morte extinctus est. Et sic factum est absque armis, ut Earedus piissimus Rex universâ Angliæ Monarchiâ potiretur.

(952.) Celebratus hoc anno Conventus Augustanus, cui Franci, Germani & Longobardi interfuerunt; Adfuit & Berengarius cum filio Adelberto, qui cum se Ottoni subiecissent, Berengarius regendam Italiam ab eo accepit, sed mox male usus Principatu, sibi concesso, Episcopos & proceres exagitavit. Eorumque in se odia concitavit.

(953.) Conradus Dux, & Luitholphus

T

phus

phus filius Othonis Regis adversus eundem Othonem conspirant.

Bruno Archiepiscopus Coloniensis, & frater Othonis, vir doctrinâ & pietate insignis, ab Agapeto pallium impetrat, cum facultate eo utendi, quoties vellet.

✱(954.)✱ Luitholphus adversus patrem Othonem educit exercitum. Stantibus autem in acie patris & filii ad præliandum utroque accincto exercitu, S. Udalricus Augustanus Episcopus pacis, quæ minimè sperabatur, nobilis sequester factus est: & Otho ex consilio fratris sui Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, Luitholpho regnum Italiæ cessit, ne commorantibus in eodem regno patri & filio, novarum dissensionum causæ orirentur.

Floruit hoc tempore Ratherius vir magni nominis, qui ex monasterio Lobvensi evocatus, Episcopus Veronensis creatus est, iterumque ab ea Ecclesia ex levi suspicionem pulsus, & à Brunone Archiepiscopo Coloniensi susceptus, ac Episcopus Leodiensis factus, ab eisdem Leodiensibus ordinationi cujusdam Baldrici ex magnatibus illius regionis faventibus, ejectus, agentibus Brunone & Ottone in sedem suam Veronensem restitutus, ex ea tamen rursus ob falsas criminationes expulsus ad summum Mo-

monasterium reversus est, de tertio suo
exilio ita colludens secum,

Veronæ Præsul, sed ter Ratherius exul.

Præcipuè post tot exilia vitâ defunctus, hæc
tumulo suo inscribi mandavit: *Conculcate*
pedes hominum salem infatuatum, magno Chri-
tiano demissionis exemplo:

Ludovicus Transmarinus Francorum
Rex Lauduno Rhemos proficiscens incidit
in lupum, quem insecutus concidit, toto
corpore labefactatus, & sanguine compu-
rescente leprofus obiit. Neq; satis pru-
dens, neq; satis Religiosus. Susceperat
quinque liberos sed duo tantum Patri su-
perstitæ erant. Lotharius Rex Franciæ,
& Carolus Lotharingiæ Dux: Arnulphus
ejus filius Nothus Archiepiscopus Rotho-
magensis erat. Filia Mathildis nupsit Con-
rado, & nomine dotis Lugdunum accepit.
Omnes neque Patre meliores, neque for-
tunatiores soboles.

Contigit hoc anno ut messorum in die fe-
sto S. Hunegundis contra decretum Syno-
di Noviomensis (quo stabilitum erat ab
Episcopo Rodulpho ut dies ille sacer ha-
beretur) spicas secarent, ex quibus stu-
pendo prodigio copiosus sanguis efflu-
xit.

Accidit & illud prodigium ut cruces pas-
sim

sim in hominum vestibibus apparerent, & qui dignè eas excipiebant eisdem prodes-
sent, malè autem & cum risu accipientibus
obessent.

✽(955.)✽ Agapeto Papâ Sanctissimo
defuncto, Octavianus filius Alberici Ro-
manorum Patricij parentibus Romanis se-
dem invasit; qui post mortem Patris sui
jam factus erat Princeps Urbis ex Clerico,
eratq; nunc adolescens vix annorum duo-
deviginti, ut Otto meritò hunc Pontifi-
cem intrusum puerum vocaret. Fuit au-
tem Pontifex iste puer inanis gloriolæ cu-
pidus, ut assumpto in hunc finem nomine
Joannis XI. Occini sibi à populo vellet:
Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joannes:
quem tamen nec Deus misit, nec homines
elegerunt. Sed qui hanc sedem per ty-
rannidem involavit, & filius erat tyranni.
Accedente nihilominus consensu Ecclesiæ
abortivus hic Pontifex, factus est tandem
legitimus: expediebat enim pro concor-
dia Ecclesiæ servanda ne Deformi schis-
mate laceraretur, eundem pro vero Pon-
tifice venerari, de quo cum jam octavum
ageret in Pontificatu annum Otto illud
enunciavit *Puer est: facile bonorum muta-
bitur exemplo virorum.* Excusans videlicet
in adolescente audita scelera.

Otto

Otto Rex Germaniæ Hunnos sive Hungaros cum exercitu numerosissimo in Germaniam irrupentes & Augustam obsidentes, Deo precibus & jejuniis in auxilium & in belli fortissimum consortem invocato, tanta strage delevit ut ex infinito prope numero ultra sex fugâ non evaserint, Regibus captis & ignominiosè suspensis. Cui victoriæ S. Udalricus Augustanus Episcopus egregiam operam suis precibus navavit, de qua victoria memoratur ei vix parem in nostris Regionibus & Christianis sæculis visam fuisse.

Anglia quoque hoc anno turbata est propter mortem Eadredi cui filius Eduinus adolescens libidinosus successit. Qui à S. Dunstano ob meretriculam reprehensus, fræni quo effusam libidinem fidelis corrector continere voluerat, impatiens, eundem in exilium relegavit, quam ob causam ipse quoque Rex, expelli vicissim regno, & meretrix enecari promeruit fer-vis Dei injuriam nunquam passis impunè.

In Hispania obiit Ordonius tertius relinquens Successorem Veremundum filium impuberem sub tutela sancii Crassi fratris sui.

✽(956.)✽ Mortuus est hoc anno Theophylactus patriarcha Constantinopolita-

nus cum sedisset annis 23. homo turpissi-
 mus, qui Ordines sacros & dignitates Eccle-
 siasticas omnes venales exposuit. Tanto-
 que insaniebat equorum amore, ut ad duo
 millia sibi comparaverit, eosque aluerit pi-
 norum fructibus, amygdalis Pistaciis & da-
 ctylis, itemque croco cinnamomo & bal-
 samo, aliisque fructuum & aromatum ge-
 neribus, odoratissimoque vino. Ferunt-
 que illum cum in cæna Domini mysteria
 celebraret, in magna ecclesia & nuncium
 accepisset de insignis equæ suæ partu
 protinus Sacrificium interrumpens ad sta-
 bulum accurrerit ut pullum videret, & rur-
 sum ad sacra perficienda ad altare redierit,
 primus quoque induxit morem festivita-
 tes Sanctorum cantibus impuris & ridicu-
 lis celebrandi. Cum igitur tam turpiter
 viveret, iusto Dei iudicio factum ut die
 quadam insolentiùs equitans, allisus, ad
 parietem sanguinem evomuerit, eoque
 morbo per biennium laborans hydropi-
 si confectus sit. Cujus in locum electus
 est, ab Imperatore Polyeuctus Monachus
 sapientia, & simplicitate vitæ insignis, qui
 tamen quoddam non ex more, ab Heracleæ Epi-
 scopo (erat enim hic Imperatori quadam ex
 causa invisus) sed à Cæsariensi consecra-
 tus sit, magnam Infamiam contraxit, licet
 non

non destiterit prava etiam facta Imperatorum Sacerdotali libertate reprehendere: ob quam causam Constantinus non destitit eum odio persequi, & omnem occasionem quærere eum de sede deturbandi.

Translata & hoc anno Antiochiâ Constantinopolim manus S. Joannis Baptistæ à quodam Diacono furto sublata, ac solenni pompâ ab Imperatore in Regia collocata.

Grassata est inter Boreales hoc anno lævissima pestis, crucibus in vestibus hominum apparentibus prænunciata, qua etiam Otto Rex infectus, intercessione S. Viti Martyris liberatus est.

(957.) Widgarus pulso Eduino, Rex Angliæ constitutus S. Dunstanum revocat ab exilio, & Ecclesiæ Wigornensi Episcopum præficit.

Accidit his diebus, ut cum Saraceni in Herculis vicum irrupissent, presbyter quidam Themel dictus, peragens incruentum Altaris Sacrificium, ita ut indutus erat, manibus gestans Christi Corpus, in eosdem irruerit, multos vulnerarit, multos interemerit, melior miles quam Sacerdos. Quâ ob rem suspensus est ab Episcopo, à quo cum veniam impetrare non posset, ejuratâ fide

factus est Saracenus, & multa Ecclesiæ, & plurima damna Imperio intulit.

✽(958.)✽ Berengarius tyrannus, quem hætenus in officio Luitholphus filius Othonis continuerat, eo defuncto furere incepit & sacra & profana miscere, instigante Willâ, in quam omnia crimina confluxerant, ita tamen, ut primas teneret impudicitia & crudelitas.

Debellavit hoc anno Sclavinos Otho, eorum Regulo interfecto, Bolesodem quoque Turcam Constantinopoli baptizatum, & factum à fide apostatam, qui in Græcos primùm, deinde in Francos irruere ausus erat, bello captum, & grassatorem, & proditorem Judæ persimilem suspendit.

Obiit S. Odo Episcopus Cantuariensis, cujus sedem invasit Edelsinus, qui cum tumulum Odonis contumeliosè conculcasset, Romam perrexerat ad petendum pallium, sed priusquam illud obtineret, inter Alpes frigore interiit, & docuit exemplo suo cæteros modestiùs de viris sanctis imposterum loqui.

✽(959.)✽ Regina Rugorum sive Rusorum Helena baptizata, Constantinopoli petiit ab Ottone Episcopum, & accepit aliquos, sed ii malè accepti ab hoc populo, fea-

senferunt, non oves fideles, sed lupos esse, ad quos mittebantur.

Mortui Eduini Angliæ Regis animã à dæmonibus ad inferos detrudendã, precibus S. Dunstani ereptam esse, narrat Osbertus. Sic viris sanctis solenne est vindicare ab hostibus infensissimis illatas injurias.

✽(960.)✽ Joannes XII. alii Episcopi, & Principes Italiæ, missã legatione adversus Berengarium auxilium Ottonis implorant, eumque in Italiam accersunt, juramento prius utrimque præstito, ex parte quidem Ottonis, quòd is Romani Pontificis & Ecclesiæ jura integra conservare, & ablata à Berengario bona restituere, ex parte autem Pontificis, quòd ille Ottonem Imperatorem coronare vellet.

S. Dunstanus ab Ecclesia Wigornensi translatus ad Cantuariensem, pallium pro sua Ecclesia impetraturus Romam venit, & honorificè à Joanne XII. excipitur. Sic enim tunc moris erat, ut Archi-Episcopi non per alios Pallium afferri curarent, sed ipsi Romam pro eo impetrando proficiscentur.

In Oriente Constantinus Imperator veneno sublatus est à suo filio Romano, qui patris diuturnum regimen pertæsus erat.

Imperavit enim annis 49 vir in omnibus disciplinis versatus, liberalis in Ecclesias, & pius in Deum. Sed in puniendo sævus, & in administratione Imperii negligens: uno verbo melior privatus quam Princeps.

Romanus, quamprimùm Imperator acclamatus fuit, filium suum Basilium per Polyuctum Patriarcham coronari iussit, ut aliis omnem spem Imperii adimeret.



DECAS VII.

✻ Ab anno Christi 960. ad 970. ✻

961. ✻ **O**Tto priusquam in Italiam educe-
ret exercitum contra Berengari-
um, filium suum Ottonem, ex Adelaide
genitum Germaniæ Regem creat, & filio
suo Guilelmo ex priori uxore genito com-
mittit. Tumque in Italiam profectus,
nullo negotio Berengarium & filium ejus
Adelbertum expulit, & ut pietatis studium
cum militari robore exerceret, corpus S.
Mauritii Thebæorum Ducis, Magdebur-
gum transtulit, ubi hæ reliquiæ postmo-
dum magnâ veneratione conservatæ sunt.

Cretam Insulam (quam Nicephorus
Phocas & ejus Germanus Leo Imperio ite-
rum è manibus Saracenorum vindicârunt)

S. Ni-

ibus
 fias,
 vus,
 ens:
 eps.
 ac.
 per
 lit,
 ee-
 ri-
 ide
 io
 m-
 s,
 jus
 um
 S.
 ur-
 o-
 nt.
 us
 e-
 t)
 ti.

Nicon cognomento *Metanites*, sive *pœnitentiam agite* (sic cognominatus, quòd ubique per regiones pœnitentiam prædicaret) Christo iterum pulsus erroribus assensit.

✽(962.)✽ Otto magnificentissimè à Pontifice Romæ coronatus, appellatur cognomento *Magnus*; conditiones tamen proposuit Pontificibus, ad eorundem electionem & regimen Ecclesiæ necessarium tunc temporis & utile concernentes: idque non ut suo Imperio Romanam sedem subderet, prout Heterodoxi ex hac occasione insultant, sed ad eam in potestate sua & primatu constabiliendam, quod fidelis propugnatoris non oppugnatoris munus esse, sciebat.

✽(963.)✽ Joannes XII. Papa alienatur ab Ottone Papiæ commorante, quòd is duos Cardinales Pontifici rebelles suscepisset, & subditos Papæ juramento sibi obstringere diceretur: quibus causis motus Pontifex incipit adhærere Adelberto Berengarii filio, huc illucque per Italiam discurrenti, & contra Ottonem Principes stimulant. Excusare se conatus est Imperator, sed excusatio non est admissa: Quare Otto Romam cum exercitu venit, fugâ dilapso Papâ, & susceptus est a Romano populo,

pulo, qui eidem juravit, se Pontificem nullum electurum nisi ex Imperatoris consensu. Hic autem ex Episcopis Italiæ & Germaniæ coacto Concilio, Joannem de atrocibus criminibus accusatum, homicidii, perjurii & sacrilegii deposuit. Joannes è contra excommunicavit omnes, qui huic Concilio interessent. Collocatus est nihilominus in Petri sede Leo, hujus nominis VIII. qui licet perperam electus, legitimis tamen Pontificibus accensetur; & tunc quidem prima sedes à multis, sed in Pseudo-Synodo damnata est.

In Oriente Romanus Imperator pœnam Talionis solvit, & qui patrem suum veneno sustulit, idem aut veneno, aut ex voluptate obscœna obiit, anno ætatis 24, cui licet filii successissent: Basilus & Constantinus pueri duo, aliis tamen Imperium affectantibus, Nicephorus Phocas victoriis clarus ab exercitu Imperator acclamatus, & à Polyucto Patriarcha coronatus est, sed & ab eodem Polyucto paulò post Ecclesiâ expulsus, quòd uxori jam adstrictus, nihilominus secundas nuptias iniisset cum Theophana Augusta relicta Romani, absq; ulla peracta pœnitentia, deinde quòd filiũ eundem Theophanes in Baptismo suscepisset, ex qua re cum magnæ Constantino-
poli

poli turbæ orirentur, habito Constantino-
poli Episcoporum & Senatorum conventu,
jure jurando Imperator affirmavit, se eum
puerum non suscepisse, & sic à Patriarcha,
quanquam valde invito, in communionem
receptus est, & pœna pariter secundarum
nuptiarū a Canonibus imposita, ei condo-
nata est. Sic enim propter bonum com-
mune Ecclesiæ videbatur tunc remissiùs
cum Imperatore agendum esse.

Misit eodem anno Phocas Manuelem
cum classe in Siculos Saracenos, ut se à tri-
buto pensitari solito eximeret. Sed Ma-
nuel cæsus à Saracenis, rem Græcorum
perdidit, & Saracenorum erexit.

(964.) Nicephorus Phocas Impe-
rator Cyprum Insulam, & centum urbes,
atque Antiochiam Imperio iterum asseru-
it, invisus tamen populo, quòd militibus
nimiùm indulgeret, donaria ecclesiis auf-
ferret, & imponeret tributa, muniret pa-
latium, non ut domum Imperatoris, sed
tyranni receptaculum.

Otto Imperator Romanos rebellantes
vincit, & magnam stragem de victis edit,
qui tamen Ottone Spoletū discedente ad-
versus Adelbertum Leonem expellunt, &
Joannem XII. recipiunt. Hic Cardinales
quosdam & Episcopos malè excipit, atque
ad

ad Ottonem securitatis causâ confugere compellit. Otto igitur jam arbiter factus Imperii & Ecclesiæ, ad Romanos castigandos accedit. Interea Joannes convocato Concilio, Ottonem, Leonem, omnesq; aſſeclas anathemate damnat, & primæ Synodi acta contra se prorsus rescindit, sed Deo vindictam ulteriorem inhiſcente, & scelerum finem statuente, dum extra urbem cum uxore cujusdam Romani turpiter volutatur, in temporibus graviter a malo genio perculsus ex ea plaga intra Octiduum obiit & sedem reliquit Benedicto hujus nominis V. Otho autem imminens urbi eandem cum recens electo Pontifice obsedit & fame ad deditiōem compulſit, & rursus in Synodo à Leone VIII. depositus Benedictus, in exilium pulſus est,

Sed & Otto castigatus sensit acerbè (peſte in exercitu suo fœdum in modum graſſante) hæc omnia à se acta displicuisse Deo, & Principes, quantumvis bonos Ecclesiasticis nimium se immiſcentes semper ultorem Deum expertos esse. Quæ porrò Pseudo-Pontifex Leo tunc temporis Imperatoribus concessit, ea tantumdem valere, quantum ipse tunc auctoritatis habuerit, quivis prudens arbiter judicabit.

Otto in Castello S. Leonis in umbria à
se

se occupato Berengarium cum sua uxore Willa captivum abducit & in Boiariam relegat. Ubi mortuo marito Willa facta est Monialis: Adalbertus aufugit, & impia domus a Deo, Ottonis armis dissipata est.

✽(965.)✽ Otto Benedictum V. hujus nominis Pseudo-Pontificem, quamquam a Romanis uti legitimum Pontificem expectatum, virum alioquin pium & sanctum, in Saxoniam secum traxit ubi vitam finivit, dum interea Leo schismaticus Romæ triumpharet.

Leoni successit Joānes XIII. à Rotfredo Urbis Præfecto mox iterum expulsus quem Pandulphus Capuanus Princeps recepit, neque Petri sedem conscendit priusquam Benedictus V. è vivis excessit.

Hoc anno Poloni, propago Sclavinarum, ad Christum conversi sunt, Miescâ seu Miezeslao facto Christiano per uxorem Dabbravam, seu Dobberam, filiam Boleslai Bohemorum Ducis: ad quem Joannes XIII. misit Ægidium Tusculanum Episcopum, qui res Ecclesiæ ibi plurimum promovit.

Wandali quoque hoc tempore fidem receperunt.

✽(966.)✽ Otto Imperator revertitur Romam non tantum propter Adelbertum, qui

qui Regis Italiæ nomen adhuc gerebat, & omnia perturbabat sed etiam propter Joannem quem Romani ejecerant, adventum autem Ottonis metuentes Romani Joannem revocârunt, & sedi suæ restituerunt. Imperator autem mox vindictam severam sumpsit, Consules ex Italia eiecit, tribunos suspendio necavit, Præfectum Urbis qui successerat Rotfredo Joannis expulsi, nudatum & asino impositum utreque redimitum ignominiosè circumduxit & virgis cecidit; Cadaver autem Rotfredi è sepulchro extractum in diversa loca dissipavit.

✽(967.)✽ Otho cum Romano Pontifice Ravennæ ordinat quæ pro pace & emolumento Italiæ esse visa sunt, curat etiam Othonem juniorem filium suum Imperatorem coronari.

Godefridus Andegavensis Comes in bellis Francos inter & Nortmannos excitatis Etelulfum gigantem Danum solo aspectu horribilem ex provocatione aggressus vicit & interemit, & docuit in certaminibus plus animum, quam corporis molem prodesse. Res Hispaniæ mortuo hoc anno Sancio crasso Rege Legionensi & relicto Successore filio ejus Ramirio tertio sub tutela Teresiæ matris magis quam

inquam turbantur. Attriti enim Saraceni
resumpserunt animos ex bellis domesticis
Sancii & Ordonii cognomento mali, in
quibus Sancius ad Saracenos confugere
coactus est. Et periculum erat ne sub pue-
ro Principe Arabes ex auxiliatoribus fie-
rent oppressores.

(968.) Nicephorus Imperator dum
penuria frugum in Oriente invalescit, om-
ne frumentum sordidè repositum chariùs
vendit & thesauros auget, omnem subdi-
torum benevolentiam, pecuniis omnibus
potiorem, amittit. Legatos etiam ab Otho-
ne Imperatore & Joanne Papa missos pro-
pter nuptias Annæ filiae Romani Impera-
toris cum filio Othonis malè accepit, eò
quòd Otho Principes Beneventanū, Capua-
num & Salernitanum, à se disjunctos in
in suam clientalem recepisset.

Joannes primam Campanam Ecclesiae
Lateranensis, miræ magnitudinis solenni
ritu benedixit, & nomine S. Prodromi
Christi Joannem appellavit. Unde etiam
hodie dum ejusmodi, benedictiones bap-
tismi appellantur, eò quòd campanis, sicuti
pueris, nomina imponantur.

Nortmanni Gunderedo Duce classe cen-
tum navium Gallæciam invadunt, Compo-
stellam exciunt. Sisenandum Episco-
pum

pum in prælio cædunt, qui sanctiùs ad altare, quàm in acie cecidisset; sed quid aliud ab invasore sedis hujus expectaretur belli, quàm rituum sacrorum peritior? verùm Christiani vicini Duce Gundisalvo Sancio Castellæ Comite (aut potius sancto Jacobo Apostolo) eis omnem prædam eripuerunt, plurimos peremerunt, plurimos cepere: Pauci subductis navibus ex incendio, inopes cum magno dedecore, ac multis vulneribus, ad sua redierunt.

(969.) Nicephorus Græcâ fide egit cum Ottone & Latinis: finxit enim se mittere Annam nuptiis jungendam: cui dum occurrunt Latini, ejus ingressum in Italiam cohonestaturi, magnam partem exercitus interneccione delevit.

Reliqui autem Duces Othonis resumptis adversus perfidos animis mox Græcis Apuliam & Calabriam ademerunt: & captivos plurimos truncatis naribus Constantinopolim remiserunt, futuros Græcæ perfidiæ publica monumenta. Quæ res exacerbavit Constantinopolitanos ut Duce Theophana Augustâ uxore Imperatoris, & Joanne Zemisce, exurgerent contra Nicephorum Phocam, qui in eo tumultu interemptus est, eique Substitutus Remisces. Quem tamen Polyuctus Patriarcha

coro-

coronare noluit, nisi Theodorum eiiceret in exilium, & bona quæ privatus possidebat, pauperibus effunderet: Et hæc quidem ubi præstitit, inauguratus est Augustus, ut pietate, non perduellione imperium consecutus videretur.

Saraceni expugnatis in Cilicia & Syria urbibus Joannem Patriarcham Hierosolymitarum vivum combusserunt, eo quod Græci Imperatoris fautorem esse didicerint: Antiocheni quoque suum Patriarcham jugularunt: Dominicæ quoque sepulturæ templum incenderunt.

Comes quidam Othonis Magni à Dæmone correptus, ad Joannem XIII. perductus est, cujus collo injecta catena, qua vinctus fuerat S. Petrus, expulso malo genio, statim suæ menti restitutus est: Unde Veneratio in sancta Petri vincula crevit.

✱(970)✱ Zemifces qui à pietate ac demissione Imperium auspiciatus fuit Saracenos Antiochiam obsidentes profligat; & Roxolanos seu Russos aliis barbaris conjunctos exercitu trecentorum millium formidandos dissipat, & delet: Deo manifestis & specialibus auxiliis Zemifcis armis & victoriis adlaborante.

Basilus Vir bonus & vitæ probatæ successit Polyucto Patriarchæ Constantino-
poli-

politano defuncto, & Theodorus qui Jo-
anni Zemisci Imperium prædixerat, ex
Monasterio ad Antiochenam sedem affu-
mitur, promovente eodem Joanne Ze-
misce.



DECAS VIII.

✻ *Ab anno 970 ad 980.* ✻

971. **C**elebratur Romæ Synodus Gene-
ralis à Joanne XIII. Papa.

Otto fœdere sancito cum Joanne Zemi-
sce Græcum Imperatore, Bertulphum
Beneventanum Principem, qui captivus
à Nicephoro detentus fuit, libertati resti-
tuit, & Ravennam perveniens cum Adela-
ide conjuge sua ibidem S. Udalrico Augu-
stano Episcopo sic postulanti concedit suc-
cessionem Adalberonis nepotis ex sorore
Udalrici: quod factum S. Udalricus proxi-
mè moriturus valde detestatus est, cum
ad supremum judicium per visum raptus,
revelationem accepit, ea de causâ subeun-
dum sibi esse purgatorium, quòd precibus
& affectu carnis in nepotem suum abripi
se permiserit, ut id ab Imperatore expe-
teret, quanquam Adalbero hoc munere
dignissimus esset.

Joan-

Jo. ex affu. Ze. ne. ni. um. us. ti. la. qu. ac. re. xi. m. s. n. us. pi. e. re. a-

Joannes Zemifces ope S. Georgii, & Theodori Bulgaros, Ruffos, Turcos aliosque Barbaros iterum cum exercitu trecentorum millium Romanum Imperium infestantes fortiter delevit, & Bulgarorum penitus sustulit, Borise Rege cum uxore ac liberis capto. Rediens Constantinopolim triumphavit, Primas triumphi ita superis concedens ut Beatissimæ Virginis Imaginem in curru triumphali circumduceret, & ipse in equo sublimis, cohonestaret. Coronam Regiam Regni Bulgarici in magno templo suspensam Deo dicavit. & In honorem Theodori Martyris templum splendidum construxit, & magnificè dotavit, populo magnam tributi partem remisit, & primus fuit qui solidos aureos, & reliquam monetam imagine salvatoris signari voluit, & in altera parte hæc verba inscribi *Christus Rex Regum*, quod & subsequentes Imperatores quantumvis improbi imposteriorum observarunt.

✽(972.)✽ Dominus seu Domnio succedit Joanni XIII. defuncto, sed vix sedem occupavit tribus mensibus & moriens eandem reliquit Benedicto VI. patriâ Romano filio Hildebrandi.

Celebratur Synodus Ingelhemia in Germania, in qua Adalbero ab Episcopis graviter

viter

viter reprehensus est, quòd vivente adhuc Udalrico Augustano Episcopo, ipse futurus ejus Ecclesiæ successor, jam Baculo pastorali uteretur, sed & Deus morte repentina Adalberonem è medio sustulit, ut nepos successor in Episcopatu destinatus ante avunculum suum moreretur: qui anno sequenti modò vitam finivit.

✽(973.)✽ Otto Magnus diem extremum clausit in Saxonia, subito morbo extinctus, cum paulò antè mortuus esset Wilhelmus Moguntinus Antistes, filius Ottonis & Mathildis, ejusdem Imperatoris matris, quæ inter Sanctos relata est. Fuit autem & Otto vir post Carolum Magnum Imperatorum Occidentalium ferè maximus, successorem habuit Adelaidis filium, Othonem Juniorem.

✽(974.)✽ Bonifacius quidam cognomento Franco, patriâ Romanus, Ferrutii filius, Diaconus, Cardinalis, scelestissimus virorum, Benedictum VI. violentâ manu captum, & in carcerem detrusum strangulavit, & sedem Apostolicam invasit, quam per unum annum tenuit, dictus Bonifacius septimus, sed inter tyrannos & sacrilegos invasores, nequaquam inter Pontifices veros numerandus.

Romualdus Ravennas, ortus ex nobilissima

ma Ducum stirpe, primò in monasterio
Glastensi S. Apollinaris monasticam pro-
fessus, deinde ad anachoretarum vitam fe-
cedens, tandem Camalduensis Ordinis
fundator extitit.

✽(975.)✽ Benedictus Romanus ex Al-
bericorum familia exagitans Bonifacium
tyrannum, & Sedis Apostolicæ invasorem,
eum tandem abire coëgit, qui nefandissi-
mus homo, priùsq̃ ab urbe recede-
ret Basilicam Vaticanam omnibus orna-
mentis spoliavit, & sacrilegâ prædâ onu-
tus Constantinopolim navigavit. In cu-
jus locum idem Benedictus ex sutrino E-
piscopus Romanus Pontifex omnium suf-
fragio creatus est.

Magno damno totius Orientis, Joannes
Zemifces è vivis sublatus est, cui filii duo
Romani junioris Basilius & Constantinus,
ille annum vigesimum, hic decimum septi-
mum agens, una cum Theophana matre
ab exilio ex Proconeso evocata, in thro-
num successerunt.

Synodus quoque Constantinopoli cele-
brata est, in qua Basilius Patriarcha crimi-
nis accusatus, & depositus est, substituto
in ejus locum Antonio Studite.

Defuncto in Anglia Edgardo Regi, filius
ejus Edwardus, posthabito Ethelredo, suc-
cedit.

cedit. Et Anglia nonnihil turbatur, tum propter fratrum competentium factiones contrarias, tum propter Clerum adversus monachos insurgentem, qui in locum incontinentium Clericorum suffecti erant. Quâ de re, cum à S. Dunstano Synodus Wintoniæ congregata esset, in medio conflictu disputationis, deprecante ipso Rege, ac plerisque Episcopis, ut iidem Clerici restituerentur. suspensisque omnibus ad responsa Dunstani, prodigium illud contigit, ut imago Crucifixi in edito loco ecclesiæ suffixa, audientibus cunctis dixerit: *Non fiet, non fiet, judicâstis bene, mutaretis non bene.* Quod omnes Clericos, eorumque fautores rubore & timore suffudit.

✠(976.)✠ Basilus præfectus vigilum, qui Zemiscem veneno sustulit, & nunc sub junioribus Imperatoribus Basilio & Constantino Orientale Imperium moderabatur, habens sibi suspectum Bardam Sclerum, cognomento Phocam, Ducem Orientis, exauktorare conatus est, Bardas autem à militibus invitatus, & monachi cuiusdam vaticinio illectus purpuram induit, & Imperatorem egit, magnâ Orientis conturbatione, ita ut res politica simul & Ecclesiastica titubaret, siquidem etiam Antonius Studites Patriarcha ex timore de hac rebel-

rebellione concepto, sponte se abdicaret, nullo in sedem suffecto, quæ annis quatuor vacavit.

S. Nilus Calaber circa hæc tempora primum monasticam in patria sectatus, deinde Cassinum, & in monasterium S. Michaëlis translatus, iterumque aliò se cum suis discipulis convertens, nusquam statutis & firmis sedibus cum eis vixit, *ut sic in terris non habere se permanentem civitatem cum suis religiosis indicaret.* Idem Nilus Eupraxium ab Imperatoribus Orientis ad Calabriam regendam missum, ex morbo infamabili restituit, & ad monasticam vitam sectandam induxit.

✽(977)✽ S. Romualdus transit ad Marinum Eremitam in agro Veneto degentem ubi Petrum Urseolum Venetiarum Ducem sibi addixit eoque permovit, ut sponte relicto Principatu una cum Gradenico nobili Veneto, & aliis quibusdam transfirent in Galliam, ibique admirabilem vitam exordirentur. Mortuo ibidem Urseolo Guarinus, Joannes, Marinus, & Romualdus cum Olibano Comite Aquitano in Italiam redière. Hic Cassinum profectus est, ubi se ac opes suas obtulit Monasterio, aliis in eremum secedentibus, ut vitæ genus magis divinum ab omnibus remoti sectarentur.

V Otto

Otto II. Carolo fratri Lotharii Regis Francici Lotharingiam cedit, accepto fidei & subjectionis Sacramento. Quam ob causam Carolus spretis Francis totum se Germanis adjunxit: quâ Occasione usus Hugo Capetius Francos ita sibi suisque addixit, ut eum omnis Carolovingis utiliore sibi judicarent.

✽(978.)✽ Ardet bellum atrox inter Francos & Germanos Lothario & Othone inimica arma moventibus. Franci Lotharingiam fædè depopulati Aquisgranum usque accesserunt, & tantum non Othonem cum conjugè interceperunt. Otho autem grandi parato exercitu Francis reposuit vicem, Parisios usque progressus. Dum verò regreditur ad Matronam fluvium magnis cladibus à Francis affectus est. Sic se Principes isti mutuis bellis conficiebant, nullo operæ pretio quam ut alternas clades cladibus, & vastationes vastationibus reponerent.

S. Eduardus Anglorum Rex per novercam suam Eltritham, dum ad eam in venatione divertit, hausto veneno interfectus est, multis miraculis clarus & Martyr habitus: quibus permota noverca pœnitentiam egit, ac multis annis in magna austeritate vixit, ab eo animæ vitam consecuta cui corporis eripuerat.

✽(979.)✽ S. Dunstanus dum Canæ celebrat Synodum in causa Clericorum contra Monachos insurgentium, subito cadente Solario omnibus aliis contritis, mirabiliter fervatur, unus ille in trabe illæsus consistens : ulciscente scilicet Numine litigatores, qui contra Monachos etiamnum acerbius contendebant.

✽(980.)✽ Haraldus Rex Danorum, & Christianæ fidei insignis propugnator, a filio Suën dicto, Christianorum acerrimo hoste, bello appetitus, & in prælio victus, & vulnere sauciatus lethali, brevi post diem obit, Martyrii laurea pro terreno diademate coronatus. Eo defuncto, cum Christianos Suën persequeretur, ipse bis in prælio à Sclavis captus, & toties ingeniti copiâ auri à Danis redemptus, denique ab Henrico Sueonum Rege superatus, & regno pulsus est, unde profugus super terram factus, demum apud Regem Scotiæ locum delitescendo invenit, ubi quatuordecim annis commoratus, post obitum Henrici in regnum regressus, iterumque eodem expulsus est ab Olaph Henrici filio, quo tempore de peccatis suis pœnitens, Deo reconciliari studuit, & ab Olaph restitutus regno, Christianam fidem egregiè promovit; & à Nortmannis bello appeti-

tus, regno eorundem potitus, Christi fidem per totam Nortmanniam suscipiendam edicto promulgavit: sed & in Angliam cum transfretante exercitu ingressus, Regem Ethelredum, juxta vaticinium S. Dunstani expulit, eoque regno adactus, tertio post mense bonus & gloriosus Rex occubuit. Tantum scilicet ei profuit Martyrem habuisse patrem, quem ipse perduellis filius ac parricida in Martyrum numerum transtulit.



DECAS IX.

✽ *Ab anno 980. ad 990.* ✽

981. **N**icolaus Chrysoberges in Patriarchatu Constantinopolitano successit Antonio Studitæ, hoc anno modo defuncti.

Cum exercitus Imperatoris Orientis adversus Bardam Sclerum distineretur, Bulgari sub Rege suo Samuele fortissimo, & Christiano ac religiosissimo in Græciam irrupuerunt, & ope sanctarum reliquiarum, quarum cultui Samuel addictissimus erat, multiplici victoriâ potiuntur.

S. Nicon Metanites hoc tempore apud Lacedæmonem commoratus, & rogatus a civi-

civibus, ut precibus suis regionem illam a peste sævissima liberaret, id effecit, eâ lege, ut omnes Judæi (quos adeò averfabatur, ut nec linguâ promere, nec auribus excipere nomen illorum vellet, nec alloquio quenquam illorum dignaretur) urbe expellerentur, quo factò duplici peste Lacedæmones liberati sunt.

✽(982.)✽ Græci ut Calabriam sibi servarent, Saracenos in suum auxilium evocârunt: Otto autem tum Græcos, tum Saracenos expulsurus, grandem exercitum comparavit, cui præerat, qui jam multum à Religione Magni Othonis deflexerat filius Otho, magis sollicitus pro Ecclesiarum magnificentia & amplitudine, quam de cultu divino augendo.

✽(983.)✽ Otho contra Græcos & Saracenos simul junctos in Calabriam progreditur & ingenti navali prælio victus, universo propè exercitu cæso, interfectis multis proceribus Germanis, & Episcopis, ac Abbatibus (qui & ipsi præter jus fasque in eodem prælio militabant) ipse quoque Imperator, natando evadere conatus, à nautis captus, sed ab eisdem incognitus, mox ab Augusta conjuge, redemptus est.

Post hanc autem cladem mœrore ferè

confectus, de eligendo filio suo Othone tertio comitia habuit Veronæ, atque inde Romam perveniens ibi defunctus est. Cui mox Otho III. Successit, jam Aquisgrani hoc ipso anno coronatus.

✱(984.)✱ Fato functus est hoc anno Benedictus VII. in cuius locum successit Petrus Episcopus Ticinensis dictus Joannes XIV. Archi-Cancellarius Othonis vir magnus, sed ad dirum exitum reservatus.

Hoc eodem anno Romæ contractum est Sodalitium Plurimorum Sacerdotum & Episcoporum, qui ita inter se convenerunt, ut post obitum cujuslibet singuli Gonfodaliū pro singulis defunctis, quadraginta missas celebrarent. Cujus Instituti adhuc extat in Diaconia Ss. Martyrum Cosmæ & Damiani monumentum in tabula marmorea, incisum tempore Joannis XIV. die 22. Februarij, hoc anno.

Ad cujus laudabilissimi instituti memoriam & similitudinem hodie dum in Sodalitatibus B. M. Virginis
 Annua

Annunciatae, plerisq; in locis, ubi ea, Sodalitas habetur, Pactum Marianum de unâ missa pro quovis defuncto Confœderato Sodali legenda, vel ut illa legatur procuranda, magno multorum solatio, & singulari devotione servatur & propagatur.

Theophanes Augusta, Græca mulier uxor Ottonis Imperatoris, funus mariti sui multis Eleemosynis & piis operibus prosequitur, & tres filias suas piè admodum educat, duas earum Adelaidem unam, & alteram Sophiam dictam, duobus in monasteriis divino cultui addicit, Pietate & virtutum præclarissimarum exercitio celeberrima Imperatrix.

✽(985.)✽ Bonifacius ille nefandus, perduellis, homicida, & sacrilegus Sedis Apostolicæ invasor & expilator Ecclesiæ Vaticanæ, qui post interfectum Benedictum VII. Constantinopolim confugerat, Romam redit, ibique cum suis fautoribus pecuniâ & furtis fretus, irruit in Joannem XIV. vinculis constringit, & quatuor mensibus captivum fame enecat, ejusque cadaver pro foribus Castri omnibus spectandū obiicit: & sic duorum Pontificum par-

ricidio fædatus Petri sedem iterum invadit; in qua cum sedisset 4. mensibus, fætentem spiritum exhalavit, lanceis post obitum a suis confossus & in sterquilinum coniectus, sepultus tamen a quibusdam Clericis humanioribus quam par erat in detestandum hunc hominem.

Hoc sublato legitimus Pontifex creatus est Joannes hujus nominis XV. patriâ Romanus, filius Leonis, post matrimonium, facti modo Presbyteri. Circa hæc quoq; tempora novus in urbe Tyrannus Crescentius Numertanus munitionem S. Angeli titulo consulatûs possidere aggressus, eundem recens electum Pontificem infestare cœpit: unde ille timore perterritus in Tusciam secessit, & missis ad Ottonem Regem iteratis legationibus opem imploravit. Quare male conscii Romani honorificâ legatione eundem in urbem revocârunt, & piis obsequiis, uti par erat, venerati sunt.

Obiit Ramirus Rex Legionensis vituperandus ob pacem cum Arabibus factam, unde tota vis Saracenicæ furoris in Castellam & partem Gallæciæ incubuit, multæ enim urbes Christianorum captæ & Compostella diruta, ab Apostoli tamen sepulchro Arabes manus rapaces cohibuerunt. Successit Ramiro Veremundus II. fili-

filii Ordonii III. qui cum regnare satis
 pie cœpisset, postea tamen irruit in Adaul-
 phum Compostellanum antistitem, quem
 cum dolo accivisset, taurum ferocem in
 eum immisit: bellua autem depositâ mox
 omni ferociâ suâ mansuetissimè cornua in
 manibus Episcopi deposuit, & prodigiosè
 innocentiam viri probavit, quem impij
 servi per calumniam accusaverunt.

✽(986.)✽ Lotharius Rex Francorum
 cum regnasset annos 31. diem obit, relin-
 quens regni hæredem Ludovicum filium,
 quem Hugoni Duci commendavit.

Constantinopolis & pleræque Græciæ
 Provinciæ terræ motibus horribiliter con-
 cutiuntur & vastantur, plurimis passim ædi-
 ficiis & templis corruentibus: quam stra-
 gem à suis Lacedæmoniis S. Nicon preci-
 bus avertit, imagine ejusdem Sancti saxo
 cui inter orandum incumbibat, prodigio-
 sè impressâ, ita ut Lacedæmones causam
 haberent tanto hospite vivo & mortuo sibi
 gaudendi & gratulandi.

✽(987.)✽ Ludovicus Francorum Rex
 novissimus Carolinorum moritur cum an-
 no vix uno regnasset, post quem præteri-
 to & contempto Carolo ipsius Patruo Lo-
 tharii Regis fratre, regnum Galliæ ad ex-
 traneos Hugonem scilicet Ducem Parisi-
 ensem

ensem translatum est. Causa verò ob quam
 Franci proceres Carolum repudiarunt, alle-
 gatur, quòd is Germanis Principibus nimis
 addictus esset, quibus subesse durum nimis
 & vile Francis videbatur. Fuit autem Hu-
 go iste dictus cognomento *Capetus* seu *Ca-*
putii (eò quòd puer puerorum capita pi-
 leis denudare soleret) natus Patre Hugo-
 ne magno & avo Roberto Principibus, ma-
 terno verò stemmate ex sorore Ottonis
 senioris Imperatoris oriundus: imò nec
 progeniem Caroli magni in Ludovico vel
 in Caroli fratris Lotharii filio defecisse,
 sed ipsum hunc Hugonem magni Hugonis
 filium ex eadem progenie fuisse demon-
 strat Wilhelmus Nangius Monachus S.
 Dionysii in suo Chronico, aliique testes
 magnæ auctoritatis. Addit insuper me-
 moratus Nangius Hugonem Regnum ex
 divina promissione accepisse, Quando ni-
 mirum Hugo magnus Hugonis Capeti Pa-
 ter & Dux Parisiensis Corpora Sanctorum
 Ricarii & Walerici, metu Nortmannorum
 Gallias devastantium, à suis Ecclesiis in
 Flandriam ad S. Audomarum transtulit,
 tunc enim eosdem sanctos in visione appa-
 ruisse Hugoni & prædixisse fore ut pro-
 pter hanc pietatem exhibitam genus ejus
 Regno Francorum in perpetuum potire-
 tur.

Hugo

Hugo porrò Rex creatus est in urbe No-
mago ab omnibus regni Proceribus,
paucis exceptis, quos Carolo Lotharingio
nuptiæ copulabant: sacroque oleo inun-
ctus est Rhemis, & prudentiâ suâ oblato
regno se dignissimum præbuit, habuitque
simul ex merito & hæreditate, quidquid
alii reclament, quare ad Pontificem non est
recursum, quia nullus fidei datæ Regi scru-
pulus relictus erat.

✽(988.)✽ Hoc anno mortuus est S.
Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus,
multis miraculis clarus.

Hugo Capetius filium suum Robertum
Regem inungendam curat, & Franciæ re-
gnum in multis labefactatum, labore &
prudentiâ restaurat.

✽(989.)✽ Adalbertus Bohemorum &
Pragæ Episcopus, de suis ad virtutem re-
ducendis propè desperans, ad Hungaros
proficiscitur, eorumq; conversionem om-
nibus viribus promovet: primus est factus
Christianus eorum Princeps Geisa qui ob-
tinere meruit a Deo filium Stephanum ve-
rè Adeodatum, tam parentibus & suis cha-
rum, quam Ecclesiæ fructuosum.

Carolus Dux Lotharingiæ, ereptum si-
bi Franciæ regnum armis repetit, sed mox
adfuit cum exercitu Hugo, a quo Lotha-

ringii cæsi, & Laudunum (quam urbem primo impetu occupatam, ac firmam tenebant) compulsi, ubi arctâ obsidione aliquamdiu ab Hugone pressi. Dum verò Franci incautiùs & segniùs rem suam agerent, collectis animis & viribus Lotharingii erumpentes Lauduno, Francos ad fatietatem ceciderunt, & obsidionem solve-
re coëgerunt. Hugo tamen posthac cautior futurus, novis copiis conscriptis, mox bellum redintegravit.

✱(990.)✱ Hugo Arnulpho Lotharii filio notho Caroli nepoti, contulit Archiepiscopatum Rhemensem. Accidit autem ut, cum vix sex menses eâ sede potitus esset, proditione cujusdam Adalgeri, Rhemensis Presbyteri, eâ civitate Carolus potiretur ipseque Arnulphus captivus abduceretur. Quòd verò suspicio nō levis esset, ipsius Arnulphi jussu civitatem Carolo suo patruo proditam esse, ad hanc suspicionem amoliendam, collectâ Synodo Sylvanectensi in omnes urbis hujus proditores, ac direptores anathema incussit. Sed altis hærentem radicibus, ex sagaciorum animis suspicionem per hoc evellere non potuit.

Hugo iteratò Laudunum obsidet, cogitque ad deditiōem, quâ simul Carolus cum uxore

uxore sua deditus est. Carolus statim Aurelias in custodiam missus est, ibique captivus diem obiit, susceptis etiam in captivitate liberis, paternæ infelicitatis hæredibus.



DECAS X.

✿ *Ab anno 990. ad 1000.* ✿

991. **M**Oritur hoc anno Theophanes Augusta mater Ottonis II. & Ottonis I, uxor, quæ de Græca pravitate nihil habuit, sed tantum ex Oriente ingenii præstantiam attulit, quod pietate & virtute mirificè excoluit, quæ vitam sic egit in palatio, ut illud in cœnobium transfuisse videretur.

Misit Hugo Capetius Romam Legatos suos, & petiit a Pontifice potestatem agendi adversus Arnulphum Archi-Episcopum Rhemensem, proditoris accusatum. Sed prævenientibus Legatis pro Arnulpho, missis ab Heriberto Trecensi, & Meldensi Comite, Caroli Lotharingi fratre, Legati Hugonis toto triduo ante palatii januas defatigati, & nequidem auditi, redire compulsi sunt: quam injuriam concoxit Hugo, sed

sed sicuti viri sapientes, rebus suis nondum stabilitis, & adhuc nutantibus solent.

✽(992.)✽ Arnulphus in Synodo Rhemensi convictus ab Algaro Presbytero de aperta hostibus ejus jussu portâ, deponitur, Synodo hanc sibi auctoritatē tunc arrogante, quòd Pontifex Legatis Hugonis respondere nolisset. In locum autem Arnulphi substitutus, vel rectius intrusus est Gerbertus monachus Auriacēsis, magister Roberti filii Hugonis, qui Episcopus Rhemensis, Ravennæ, ac denique Romanus Pontifex fuit. Vir majoris doctrinæ & ingenii, quàm pietatis.

✽(993.)✽ Vesuvius admirando incendio flamas eructat. Passim quoq; per Italiã exorta incendia; etiam in ipsa urbe Roma, ubi basilica S. Petri ope mirabiliter a flammis liberata est.

S. Majolus Cluniacensis Abbas ab Hugone vocatus, ut in S. Dionysii monasterio collapsam disciplinam restauraret, obiit miraculis clarus, & virtutis religiosæ magnum exemplar.

✽(994.)✽ Post mortem Nicolai Chrysebergi Patriarcha Constantinopolitanus factus est Sisinnius, qui iterum renascentem de quarto matrimonio controversiam tempore Leonis Sapientis ortam, penitus
extin-

extinxit; de lana scilicet caprina Græcis magantibus, dum ipsi fœdo schismate discinderentur a Capite.

Hugo Capetius missis Legatis Joannem XV. invitat in Gallias, ad componendam Rhemensem controversiam: sed magis necessarium videbatur Pontifici, remanere Romæ tanquam in centro religionis, quam hæc per præsentiam suam curare

(995.) * Legatus Joannis XV. Leo Abbas Bonifacii Romæ, venit in Gallias, ibiq; Mosomi convocata Synodo Gerbertum Pseudo-Episcopum pro sua causa perorantem audit: mox iterum alia Synodo Rhemis convocata, Gerbertus deponitur, & Arnulphus, qui Aureliis detinebatur in vinculis, summo honore restituitur. Gerbertus autem hæc impatientissimè ferens, in Germaniam ad Ottonem se contulit, & in ejus gratiam se se insinuans docuit plerumque magnos viros deprimi, ut altiùs assurgant. Hugo autem Rex, & Aobertus, quidquid hac in re a Pontifice pro Arnulpho actum est, fortiter dissimulavit.

Memorandum judicium hoc anno exercuit justus vindex Deus adversus quendam voluptuosum Abbatem Cassinensem, nec non sceleratum Episcopum Marforum. Cùm enim Abbas ille nomine Marfo luxu-
rio-

riose admodum & sacrilegè nimis viveret, arcem quoque construxisset, quâ illius regionis tyrannidem sibi vindicare velle videbatur, accidit, ut Albericus Marforum Episcopus homo nequam, cum filio suo, ex meretrice procreato, Episcopatum tradidisset, ipse Cassinensis monasterii dominatus indipiscendi desiderio teneretur. Itaque cum quibusdam perfidis monachis certâ pecuniæ summâ pactus est, ut eundem Abbatem excæcarent, ac Monasterium sibi traderent. Jamq; dimidiam promissæ pecuniæ partem anticipatò dedit, reliquam daturus si Abbatis oculos erutos in manibus suis videret, ergo nefarii illi Monachi deducto fraudulentur capuam Abbate suo Marfone, prætextu reconciliationis cum Capuanis ineundæ, quorum ille odium in se concitaverat, mox ut illum in Monasterium Capuanum introduxere, oculos eidem eruerunt, & involutos linteo ad Albericum Episcopum miserunt: Nuncii autem cum Marsiam appulissent, reppererunt eandem horâ Albericum Episcopum subitâ morte extinctum, quâ prædictus Abbas fuerat luminibus orbatus. Ita historiam narrat Leo Ostiensis.

✱(996.)✱ Defunctus est hoc anno Johannes XV. Papa & in sedem successus est

Bru-

Bruno Patriâ Germanus confanguineus
Othonis, mutato nomine dictus Gregorius
V. operâ ejusdem Othonis, qui tunc tem-
poris ad Crescentii Romæ grassantis tyran-
nidem compescendam in Italiam evocatus
venerat: sed & Gerbertum anno superio-
re ex auctoritate Rhemensis Pseudo-Epi-
scopum nunc Antistitem Ravennatensem
populo & Clero ejusdem Ecclesiæ ita po-
stulante, idem Otho præfecit. Cum verò
Crescentius: munitionem Arcis S. Angeli
teneret, opposuit Gregorio Pontifici alium
quendam Joannem XVI. Calabrum Ros-
sanensem Episcopum Placentinum. Quem
captum Otho, oculisque orbatum, mani-
bus insuper pedibusque mutilavit. Scri-
bunt tamen alii id factum esse à populo Ro-
mano: eundemque Joannem pecunia da-
tâ in sedem intrusum, manibus auribus,
nasoque mutilatum, & excæcatum, atque
asino impositum, facie versus tergum aver-
sâ & caudâ animalis pro freno utentem,
per vias publicas clamare coactum, *tale sup-
plicium patitur, qui Papam Romanum de sua
sede pellere nititur.* Ut verò hunc popula-
rem suum tali supplicio eximeret S. Nilus
celerrimè Romam se contulit, sed preci-
bus suis nihil impetravit, Populo & Impe-
ratore in rebellem Simoniacum ita conci-
tatis

tatis, ut rogantis sanctitate nec quicquam commoverentur.

Quo exitu Crescentius tyrannidem finiverit, variant scriptores. Scribunt alii ex arce, in quâ obsidebatur erupisse, & supplicem ad Ottonis pedes se abjecisse, sed ab illo repulsum esse in arcem, jussumque se in ea pro viribus defendere, captum deinde, atque raptatum, & tandem ex trabe suspensum esse. Memorant alii, ab Ottonne receptum, sed violatâ fide capite mutilatum esse. Quam ob causam Romualdum Ottoni hoc peccatum confesso injunxisse, ut ad montem Garganum S. Michaelis pedes iret, & quadragesimam in Clafensi monasterio austerè traduceret; sed hæc incerta sunt.

Hoc ergo anno Otto III. Rex Germaniæ coronatus est à Gregorio V. Imperator, quando & habitum est Romanum Concilium, in quo videntur Imperii Electores constituti. Cùm verò hæc res magnâ controversiâ agitetur, novatoribus pertinaciter negantibus, Electores jus illud a Romano quopiam Pontifice accepisse, sed ab isto, de quo hîc agitur, Ottone III. Imperatore; aliis verò asserentibus, id eos non accepisse à Gregorio V. sed Gregorio X. a tam proluxa controversia hîc abstinendum est

est, quam latè Baronius & Spondanus in Epitome pertractant.

✠(997.)✠ S. Adelbertus Pragensis Episcopus prohibetur à Boleslao Bohemiæ Rege Evangelium prædicare, unde ille in Prussiam se convertit, factus ejus gentis Apostolus, ubi etiam Martyrii coronam promeruit, lanceis confossus. Quo anno ejusdem coronæ præcupidus S. Bonifacius, consanguineus Ottonis III. petiit à Summo Pontifice in Prussiam mitti, ad verbi divini semina in agro illo inferenda, & meruit similiter Russorum Apostolus appellari, tam charus Ottoni, ut eum animam suam vocaret, sed & Deo multò adhuc acceptior

Geisa primus Hungarorum Dux Christianus moritur, filium relinquens Stephanum hæredem regni, annis quidem adolescentem, prudentiâ autem, & fortitudine in fide virum, qui adversus rebelles fretus cœlesti ope SS. Martini Turonensis Episcopi, & Georgii Martyris facili negotio & insigni victoriâ exortum bellum civile compescuit, multisque spoliis locupletatus, illustre monasterium excitavit in monte sacro, in quo olim S. Martinus Pannonius preces effuderat, eique omnium rerum decimas consecravit, quas adedò exactè

Etè

Et solvi voluit, ut si quis decem haberet proles, has quoque decimaret, unâ ex eis DEO consecratâ

✱(998.)✱ Hugone Francorum Rege defuncto, solus rerum summam tenuit Robertus filius Hugonis; is cum adulantium sibi Episcoporum permissione cum Bertha commatre atque affine sua illicitum conjugium contraxisset, reclamante Gregorio Papa illud dissolutum est, & Episcopi ita à Pontifice coerciti sunt, ut indulgentiâ in severitatem conversâ ab ejus societate universi recederent, & quia anathemate percussus erat, præter duos servulos ad necessarium victûs obsequium remanentes, ab aliis omnibus desereretur: qui tamen & ipsi omnia vasa è quibus Rex edebat, aut bibebat, abominabilia judicantes, mox igni ea tradiderunt, atque his angustiis Regem coarctatum Bertham facto divortio dimittere compulerunt, eaq; repulsâ Constantiam filiam Wilhelmi Comitis Arelatensis legitimam uxorem duxit. Ex priori autem & illicito Conjugio monstrum natum fuisse scribunt, collum & caput habens anserinum, tam deformi scilicet Conjugio conformem partum. Posthæc autem piissimè vixit & vitæ sanctioris constantiâ, priorum scelerum maculâs eluit.

Sara.

Saraceni circa hæc tempora, sub Veremundo Gallæciæ Rege poterant omnia, Legionensi regno potiti, & in Gallæcia Compostellâ excisâ, vix servato divinitus S. Jacobi sepulchro. Quâ fortunâ & progressu Almazor Saracenorum Rex elatior factus, cum infinito propè exercitu vicinos Principes Christianos aggressus est, sed ab iis unitis armis separatus, perdidit equitum suorum 40 millia, & peditum 70 millia, reliquo toto exercitu dissipato, & turpi fugâ dilapso, ipse etiam inediâ perit, ne tanto dedecori superesse cogeretur. Varamundus quoque anno sequenti obiit. & reliquit regnum suum Alphonso seu Adelphonso V. filio suo quinquenni, cujus pueritiam tum præcedens tum subsequens victoria incolumem præstiterunt.

Garfias quoque Castellæ comes eodem anno feliciter in Arabes pugnavit: in cuius exercitu vir quidam nobilis Ferdinandus Autolinus, cum ipso dimicandi prociuctu in Ecclesiam se recepisset, ut precibus suis victoriam impetraret, idque ei æmuli timori & ignaviæ tribuerent, visus est ejusdem Ferdinandi specie Angelus ante alios adeò fortiter præliari, ut ab omnibus ipsius fortitudini in pugnando victoria adscriberetur? cujus etiam equus & arma divi-

divino miraculo sanguine aspersa videbantur. Quibus signis voluit Deus manifestum fieri plus pietate quam armis hostes superari.

Rediit hoc anno in Italiam Otto III. in cuius adventu illud accidisse memoratur. Cum Mutinam pervenisset, & juxta illam civitatem in villa Anula divertisset, ibidem Mariam Augustam filiam Aragonum Regis uxorem suam, exigente justitiâ, vivam flammis addixit. Conjecerat enim procax femina oculos suos in Comitem quendam formâ pulcherrimum, sed vitâ castissimum; ideoque passa ab eo repulsam, eundem præ rabie, de pertentata pudicitia calumniosè accusavit, apud Imperatorem: hic verò facile nimis uxori fidem adhibens, Comitem morte damnavit: Quem cum capite amputatum audivisset ipsius uxor doloris impatiens Ottonem convenit, pro tribunali sedentem, projectoq; viri capite in medium, magno ejulatu, ipsum Imperatorem Reum sanguinis innocentissimi, apud eundem ipsum jura reddentem, accusavit. Probationem per contrectationem ferri candentis obtulit; eoq; consentiente ferrum ipsa candens contrectavit, prorsus illæsa: tunc magnâ audaciâ, victrix foemina vindictam in ipsum Imperato-

rator

ratorem à gladio exegit Imperantis: fassus ille culpam spondit jugulum, sed poposcit inducias. Interim accurrentes proceres foeminam pro vita Imperatoris exorant. Sed cum diu laboratum esset, tandem est eâ conditione transactum, ut auctrix sceleris Augusta esset flammis viva concremanda: quo facto vitam suam æquissimus Imperator redemit, & Comitissam tribus castris donavit. Et innocentia & castitas ab iniquitate & libidine inaudita tragediâ triumpharunt.

✠(999.)✠ Gregorius V. Papa diem obit, & in ejus locum statim subrogatus est Gerbertus Archi-Episcopus Ravennas, antea Rhemensis, qui mutato mox nomine dictus fuit Sylvester II. ne enim Pontificatus, quo Gregorius defunctus erat, ad aliquem Romanum relaberetur (suspectam enim, & nusquam tutam Romanorum fidem Otto Imperator expertus erat) ipsum Gerbertum ad Pontificatum celeriter promovit, hominem astutum, & in Principum gratiam se insinuandi peritissimum artificem, & eâ sede, cujus hostis antea infensissimus extitit, ferè indignum. Quem tamen Romanus populus, ut Ottoni Imperatori adularetur, postulasse dicitur: porro
Pon-

Pontifex iste de se ita lusisse fertur in littera R.

Scandit ab R Gerbertus in R, fit in R quoq; Papa. Significans Ravennate ac Rhemis Episcopum deniq; Papam Romanū factum se esse.

Obiit Constantinopolitanus Patriarcha Sisinnius in cuius locum successit Sergius ex profapia impii Photii, cuius cum sanguine impietatem & odium in Ecclesiam latinam hæreditavit, eoq; amplius obfuit, quo diutius vitam propagavit.

Vitam quoque finivit S. Nikon, cuius aliquam memoriam secum habere gestiens amicissimus ejus Joannes Malacenus vir Lacedæmonius, prudentiâ & eloquentiâ insignis, & Senator honoratissimus, pictori vultum ejus & lineamenta omnia designans, depingere jussit; sed cum id arte sua manuque, alioquin peritissimâ, pictor non valeret, ideoque in angustiis consisteret, ipse S. Nikon in cubiculo eisdem, quibus uti solebat, indutus vestibus apparuit, jussitque converso in se vultu experiri formam, & simul tabulam intueri, in qua imago Sancti omnibus lineamentis ad vivum in momento admirabili manu expressa, proponebatur. Quo miraculo pictor obstupefactus, iterumque ad ipsum Sanctum conversus, ut eum veneraretur, præter imaginem sancti viri nihil invenit. Hæc imago

magis delata ad Malacenum, ac postea in
eiusdem Sancti templo suspensa est. Ex
S. Niconis tumulo oleum fluxit, adversus
omnes morbos præsentissimum amuletum
index scilicet ejus virtutum, cum viveret,
& in omnes beneficæ charitatis.

Gerbertus (Sylvester II. dictus) Ponti-
fex fit suspectus de Magia.

Hanc famam Romanæ sedis arrosores pas-
sim circumferunt asserentes audacter (menda-
citer tamen) magum eum fuisse Dæmoni-
q; iæo devotum ut Pontifex fieret, & ab eo raptum
in loco statuto, scilicet Hierosolymis in basilica
S. Crucis, loco & tempore destinato. Cui fabu-
le nonnulli indulgentius creduli eum ex numero
etiam legitimorum Pontificum expunctum vo-
lunt. Noverit autem candidæ veritatis amator
fabellæ huic occasionem præbuisse scientiam ho-
nestissimam Mathematicam & Astrologicam,
cujus ille suo sæculo ignaro & ferreo peritissimus
erat, adeo nimirum hominū subinde tunc temporis
erant turbata judicia (præcipue ubi suspicionum
pessimarum nebulæ, æmula invidia, tam prospe-
ris viri successibus & dignitatibus ad temere ju-
dicandum commota plurimum adhuc auxit) ut
non dubitarent, præstantissimæ discipline Ma-
thematicæ alumnum, ex infando cum dæmone
commercio talia callere. Noverit igitur qui

rerum equus arbiter est, commentum id esse Ben-
nonis Cardinalis tempore Gregorij VII. nequissi-
mi calumniatoris; quod admiratio concepit, in-
vidia divulgavit ignorantia & mendacium te-
merè credulorum mentibus inscripsit, eodem fas-
se cum commento de Joanna Papissa colligan-
dum & comburendum.

Præter insignia alia pietatis opera, quæ
Otto Imperator Romæ cominoratus per-
egit, illud quoque valde memorabile re-
fertur, quòd aliquando unà cum Francone
Episcopo Wormatiensi viro sanctissimo
sibiq; charissimo, speluncam quandã propè
sancti Clementis Ecclesiam clam omnibus
intraverit; ubi ambo induti ciliciis, pe-
dibus nudis in orationibus ac jejuniis, vi-
giliisque per dies quatuordecim latuerunt,
& ut fama fuit visionibus & allocutionibus
divinis honorati fuerunt: paulo pòst cum
idem Franco Episcopus Romæ, uti prædi-
xerat, diem suum extremum clausisset, Im-
perator in Germaniam reversus, certo di-
vinæ voluntatis indicio, Wormatiensi Ec-
clesiæ ejusdem Franconis Germanum fra-
trem, illustre tunc temporis Germaniæ ju-
bar, præfecit.

✠(1000.)✠ Obiit hoc anno Adelais
uxor Othonis II. mater Othonis III. fœ-
mina quatuor liberorum fœcunda mater &
ma-

magni Principis dignissima conjugio, non terreno tantum diademate, sed gloriæ immortalis coronâ ob eximias virtutes æternum coronanda.

In Francia circa hæc eadem tempora Roberti uxor Constantia, mulier arrogans & ambitiosa Hugonem quendam gratiosum, cujus artibus ab ejus amore Robertus averti videbatur, in oculis Principis cedendum curavit; neque Rex aliter quam verbis hanc injuriam ultus est, quæ & in gratiam recepta cum exigeret à marito, poëta vendibili, ut de ejus laudibus scriberet hymnum, hunc ille de Martyribus scripsit; *O Constantia Martyrum laudabilis, Sc.* hæc de se scriptum Carmen illud existimavit, quod eo nomen suum contineretur, Fœmina ex æquo stulta & ambitiosa & merito ridenda sapienti viro, vel potius à marito æquitatis vindice homicidii rea rigidioris judicio plectenda.

DE LEUTGARDO ET VILGARDO
DUOBUS HÆRETICIS IMPOSTORIBUS.

Æculum hoc, quod Schismata Pseudo-Pontificum & eorum qui Summam Sedem invaserunt, Simonia, sacrilegia Sturpitudines, domestica scilicet mala multipliciter obscurârunt, à novis heresiarchis (quæ singularis fuit Dei ter

Optimi maximi providentia non permittentis
 Ecclesiam suam tempestatibus intus & foris ex-
 agitari) novorumque errorum & hereseon
 tenebris liberum & innube transit, in exitu ta-
 men & ad vesperam annorum atque dierum, te-
 nebriis infernalis obscurare nonnihil tentavit
 coruscum fidei & doctrinae Christianae jubar,
 quando fuliginosos duos nebulones produxit,
 qui nubes & tenebrosos turbines excitarunt:
 Fuit unus Leuiardus homo Plebejus in Gallia,
 qui cum in agro solus aliquando labore depres-
 sus obdormivisset, apum visione & strepitu dire
 illum exagitantium à Demone illusus, & sati-
 gatus, exurgens quasi Enthtatus, ex præcepto
 Evangelico subito uxorem dimisit, & Ecclesiam
 velut oraturus ingressus, crucem & Salvatoris
 imaginem contrivit, & rusticis facili negotio
 persuasit, hæc se Dei revelatione patrare: Do-
 cuit insuper decimas dare prorsus inane & ini-
 quum esse, Scripturam quoque homo inanissimus, ad
 libitum abutens, magnam ad se hominum multi-
 tudinem attraxit. Cum verò Lebuinus Epif-
 copus, in cujus diocesi, pago scilicet Catholico,
 hæc fiebant, hominem stultitiam suam de docere,
 & ad saniora perducere conatus esset, miser
 Pseudo-Apostolus desperatione adactus, in pute-
 um se præcipitavit. Et populus male credulus
 errorem deposuit.

Alter apud Ravennam Italiae civitatem erat
 Vil-

Vilgardus quidam Grammaticus, qui deceptus
 præstigiis demonum, ipsi apparentium sub specie
 poetarum Homeri, Virgilij, Horatij, Ovidij,
 Juvenalis, &c. multa cœpit turgidè contra si-
 dem effutire & asserere ac mordicus defendere
 dictis poetarum in omnibus fidem habendam esse.
 sed eo per Petrum ejus Civitatis Archiepiscopum
 damnato, plures quoque discipuli, tum gladio
 tum incendio puniti & consumpti sunt.

Deniq; ex Sardinia Insula eodem anno aliqui e-
 gressi sunt qui Zizania seminârunt in Hispania sed
 virorum doctorum atque piorum studio insani
 conatus maturè oppressi sunt, priusquam re-
 cepta in cordibus radicarent.

Hoc anno Stephanus Dux Pannoniæ,
 sive Hungariæ Astricum Colocensem E-
 piscopum dictum Anastasium, ad sedem
 Pontificiam Legatum misit, petentem, ut
 recens conversæ Hungariæ benedictionem
 impertiret, atque Ducem regio diadema-
 te condecoraret: quo honore suffultus, ea
 quæ gratiæ divinæ adjutorio cœpisset, ma-
 gis magisque promovere ac stabilire pos-
 set. Cùm verò per idem tempus Dux Po-
 lonorum suos pariter Legatos Romam mi-
 sisset, ut regium titulum & diadema impe-
 traret, jamque Sylvester coronam egre-
 gio opere confici curasset, quam ei trans-
 mitteret, noctu ejusdem diei, quo eam Le-

gatis daturus erat, apparens ei Angelus Domini, iussit ut coronam, quam Duci Polonorum paraverat, iis postero die daret, qui de gente ignotâ venturi essent. Itaque cum die & horâ ab Angelo prædictâ advenissent Hungari, Sylvester eisdem coronam cum nomine Regio impertivit, atque insuper concessit, ut Crux ante Regem velut Apostolatûs insigne deferretur, quòd ejus operâ multi infideles populi ad fidem conversi essent: nec non ut idem Rex vice Romani Pontificis Ecclesias sui regni disponeret. *Hæc in vita S. Stephani.*

Stat ergo
CatheDra RoMana
Contra
Tartareas portas
FINIS PARTIS SECVNDÆ

